


DE APOLOGIA ATHENAGORAE

PATRIS GRAECI II° SECULO FLORENTIS

« Πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν » INSCRIPTA

COLUMBARIIS

Ex Typis Pauli Brodard.

DE

APOLOGIA ATHENAGORAE

PATRIS GRAECI II° SECULO FLORENTIS

« Πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν » INSCRIPTA

THESIM

UNIVERSITATIS PARISIENSIS LITTERARUM FACULTATI PROPONEBAT
AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

LUDOVICUS ARNOULD

Facultatis Litterarum Parisiensis quondam alumnus,
Deinde in Pictava Universitate diu Graecis Colloquiis,
Nunc in eadem Gallicis Litteris Præpositus.

« Athénagore... l'auteur d'une des plus belles et des plus anciennes Apologies de la religion chrétienne. » BOSSUET (VI[e] Avertissement sur les *Lettres de M. Jurieu*, chap. LXIX).



PARISIIS
APUD ARMAND COLIN ET SOCIOS
5, VIA DE MÉZIÈRES, 5

1898

DOCTISSIMO ET DILECTISSIMO

MAGISTRO MEO

AMEDAEO HAUVETTE

IN FACULTATE LITTERARUM UNIVERSITATIS PARISIENSIS PROFESSORI

ARGUMENTUM

CAPUT IV

CAPUT V

CAPUT VI

CONCLUSIO

APPENDIX I

APPENDIX II

APPENDIX III

ARGUMENTI FINIS

PRAEFATIO

Paucis hic exponatur quid et quale sit hujus opusculi propositum. Infra quidem reperietur catalogus plerorumque voluminum quae de Athenagora sunt hactenus conscripta. Hujus autem nunc mihi jam summa proferenda et quasi flos delibandus est ut, cur tot chartis meam superaddiderim, plane intellegatur.

Scilicet Athenagorae pro Christianis Apologia, Πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν inscripta, anno 1557, Lutetiae Parisiorum, a celeberrimo Henrico Stephano primum edita est. Sed cum Anglus eruditus quidam, Henricus *Dodwell* 1689 anno veterem Philippi Sidetae de illo apologeta notitiam pervulgavit, tum demum plures docti viri de hoc disserendum curaverunt, inter quos sincerissimus Noster *Lenain de Tillemont* illum librum anno 177 compositum esse jure perspexit (1694).

Porro idem liber XVIII° seculo a nonnullis indagatoribus cum Gallis tum Germanis expendi coeptus est, ac potissimum a duobus Gallis ex Ordine Sancti Benedicti monachis, Domino *Le Nourry* ac Domino *Marano*, qui nostri scriptoris opera, 1703 et 1742 annis, rursus ediderunt ejusque doctrinam, praecipue

quod ad theologiam pertinet, nec mirum, uberrime commentati sunt.

Denique, nostro seculo plurimi eruditi viri, fere omnes Germani, utrique Athenagorae libro incubuerunt, ipsius testimonio usi ad describendam sive ethnicae philosophiae finientis sive incipientis christianae theologiae historiam, aut etiam ut quaererent num quid huic Minucius Felix in Octavio aut Tertullianus in Apologetico debuerit. Anno autem 1857 Ienensis doctor *Otto* tam eruditam et tot explicationibus illustratam Athenagorae editionem proferebat ut haec ad consulendum utilissima etiamnum maneat.

Apud nos interea, illo eodem anno, presbyter *Migne* in suo maximo Patrologiae Cursu vulgatum Athenagorae textum cum veteribus quidem Marani commentariis, novis autem Joannis Henrici *Nolte* emendationibus edebat. Tum disertissimus presbyter *Freppel*, anno 1860, multis apologetae partibus citatis et eloquenter annotatis, ut hac aetate in Gallia mos erat, suos in Sorbona auditores, deinde lectores valde delectabat. Denique eruditissimus idemque ornatissimus Ernestus *Renan*, in VII° librorum illorum quos exponendis christianae religionis originibus impendit, anno 1881 paucis paginis utrumque Athenagorae opus recolligere sat habuit [1].

His autem 16 novissimis annis, quibus de Athenagora apud nos prope siletur, Germaniae inclyti illi eruditi, qui jam de veteribus ac christianis litteris, meo quidem judicio, tam bene meriti sunt (etsi non de omnibus rebus eadem atque ii sentio), Adolphus scilicet *Harnack* et Oscar de *Gebhart* studiosissime dederunt operam ut et omnia quae supersunt de Nostro documenta indagarent et textum ipsum ejus cum manuscriptis codicibus (potissimum cum omnium antiquissimo, Publicae

1. P. 381-386.

Parisiensis Bibliothecae Graeco 451) attentissime recognoscerent : in hoc adjuti sunt ab Eduardo *Schwartz*, qui anno 1891 novam Athenagorae editionem vulgavit, certo optimam quod ad textum pertinet, sed, quanquam non desunt Indices, omni explicatione, prorsus tamen necessaria, fere orbatam [1].

Tot igitur et tantis opibus fretus equidem, textum illum Athenagorae nunc demum diligentissime constitutum directo adire eumdemque accuratissime expendere incepi ut, si qua perspexissem, ea non fractis editionis notis, sed uno tenore expromerem. Graviore tamen Nostri opere explorando contentus sum, non illo quod unam peculiarem christianae doctrinae partem exponit, De Mortuorum scilicet Resurrectione libello, sed hoc quod, Deprecatio de Christianis inscriptum, ejusdem doctrinae summam adversus Paganorum falsa crimina defendit. Hanc igitur defensionem evolvens, dum omnibus, ut ita dicam, vestigiis christiani philosophi insisto, assidue anquirendum curo quid ille pro fratribus attulerit, quo ordine, quomodo, qua arte dixerit, quid a magistris aut antecessoribus suis, quid a semetipso traxerit, quid ipse omiserit et cur, quid singula valeant argumenta. Quae disputatio operis mei pars intima esse mihi videtur.

Praeterea, quia haud pauci alii inter doctissimos Christianorum viros tale publicae defensionis munus eodem II° seculo susceperunt, idcirco Athenagoram in apologetarum chorum

1. 1882. Harnack. *Die Ueberlieferung der griechischen Apologeten des 2. Jahrhunderts.*

1883. Gebhardt. *Der Arethascodex*, Paris. Gr. 451.

1891. Schwartz. *Athenagorae libellus pro Christianis. Oratio de Resurrectione cadaverum.*

1893. Harnack. *Die Geschichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius.*

1897. Harnack. *Die Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius.* Vide, infra, *Indicem* I, A. —

Praeter haec opera citanda est Germanica quoque dissertatio de Athenagorae philosophia, vide ibidem *1882*, Schubring.

reponere conatus sum; item in primis capitibus, quam pressissime disceptare volui de singulis ac perraris documentis quae de hujus scriptoris vita reperta sunt, et definire non modo quibus imperatoribus dedicata esset nostra Apologia, verum etiam quo anno, aut potius intra quos anni 177 menses conscripta esset.

Denique, ut plenam lucem eidem afferrem operi, ambo illa incerta indagavi, quae nondum hactenus, meo saltem cognitu, per singula quaesita erant :

I. A quibus hominibus, *sycophantis* dictis, continuo Athenagoras ad imperatores provocaverit?

II. Quibus verbis Marcum Aurelium Commodumque sit allocutus, et quomodo ejus lenitas explicari possit?

Cui duplici interrogationi, replicata paganorum christianorumque annalium memoria, respondere tentavi.

Nec me fugit aliquid superesse explendum, scilicet ut Athenagorae philosophia ac theologia, quas tamen attigi, penitus excutiantur : me enim utriusque nimis imperitum a tali incepto refugisse non dissimulaverim; sed quaecumque ex Graecarum litterarum studio aut ex secundi seculi rerum historia haurire potui, ea illustrandae Athenagorae Supplicationi sedulo attuli. Quod invitus omittere debui, utinam exsequantur alii, qui pusillum meum perficiant opus! Apud illos major quidem facillime esse poterit scientia, non major autem veritatis amor.

Pictavii, die 14 januar. ann. 1898.

INDEX LIBRORUM

I. — LIBRI DE ATHENAGORA EVOLVENDI[1]

A. — De Athenagora Libri, Dissertationes seu Notitiae.

(Ex ordine *temporum* disposita, quo melius perspiciatur quid quaeque aetas vicissim ad Athenagorae studium contulerit.)

XVI. ET XVII. SECULA

1594. BARONIUS (CAES.), congregationis Oratorii presbyter. *Annales Ecclesiastici.* Romae, ex typographia Congregationis Oratorii, 12 vol. f°.
T. II, p. 226-229. (Colligitur Apologia, quae anno 179 tribuitur.) In Gallica Annalium versione, quam anno 1864 edidit Theiner, idem opus anno 166 tribuitur, t. II, p. 401-403.

1617. BELLARMINUS (ROBERTUS), ex Soc. Jesu, cardinalis. *Opera.* Coloniae Agrippinae, sumptibus Gualtheri, 7 tom. f°, 1617-1620.
T. VII, col. 33, in opusculo *De Scriptoribus ecclesiasticis Testamenti Novi*, « De Athenagora, 155 ». (Aliquòt tantum verba.) [Bellarminus-Labbe, 2a ed., 1728, p. 35.]

1639-49. MIRAEUS. *Bibliotheca Ecclesiastica.* Antuerpiae.
P. 13.

1670. HUET (PIERRE-DANIEL). *Lettre sur l'Origine des Romans.* Paris, in-12.
P. 42 sqq. (Athen[ae] tribuit fabulam « Du vray et parfait Amour » inscriptam. Sed sententiam mutavit in altera ejusdem libelli editione, quam protulit anno 1682. Hagae Comitum, Guil. Pyrrho, parv. 8°).

1. Quam plurimos potui (96) ad Athenagoram pertinentes libros hic colligendos curavi : haud unum tamen me fugisse nequaquam contendam. — In hac priore Indicis parte, quid singuli libri contineant, paucissimis verbis contraxi vel etiam judicavi, quotiescumque id mihi utile visum est.

1675 KORTHOLTUS (CHR.). *Commentarius in Libellos Athenagorae.* Chilonii [Kiel], f°.
[Cum incrementis insertus editioni Justini Martyris, Athenagorae, etc. Lipsiae, 1686.]

1689. DODWELL (HENRICUS). *Dissertat. in Irenaeum.*
[Diss. XI, Cyprianica, de Paucitate Martyrum, p. XXXVII.]
(Immerito putat Apologiam anno 168 conscriptam esse.)
App. p. 488 sqq. (Philippi Sidetae de Athenagora notitiam primus edidit.)

Id. PAGI (ANTONIUS), Ordinis Minorum Convent. S. Francisci. *Critica historico-chronologica in Annales ecclesiasticos Baronii.* Lutetiae Paris., f°.
P. 8-10.
Idem opus, IV tomis distinctum, editum studio et cura R. P. Francisci Pagi, Antuerpiae, f°, 1705.
T. I, p. 160, pars 2, VI, et p. 174, VIII, IX, X. (Ath^ae Apologiam Marco Aurelio et Lucio Vero oblatam et anno 166 exaratam scriptor censet.)

1692. TENTZELIUS (GUIL. ERN.). *Exercitationes selectae in duas partes distributae.* Lipsiae. 4°.
P. 200 sqq. (Jure negat Gallicam fabulam Du vray et parfait Amour inscriptam Ath^ae esse tribuendam.)
Addenda, p. 452. (Sententiam mutat.)

1694. LENAIN DE TILLEMONT. *Mémoires pour servir à l'Histoire ecclésiastique des six premiers siècles.* Paris, Robustel. 4°.
T. II, p. 349-351. — Note X, p. 671-673. (Jure anno 177 primus Apologiam tribuit.)

1698. DUPIN. *Bibliothèque des Auteurs ecclésiastiques.*
T. I, p. 141.

1699. BAYLE (PIERRE). *Dictionnaire historique et critique.* 2 vol. f°.
1720, Troisième éd^on. Amsterdam. 4 vol. f°. T. I, ATHENAGORAS, p. 367-370.
1741. T. I, p. 369-372.
(Plura de Ath^ae vita et doctrina documenta.)

XVIII. SECULUM

1703. LE NOURRY (DOM.), O. S. B. *Apparatus ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum.* Parisiis, ap. Joannem Anisson.
Diss^es de Athenagora, p. 471-498, f°. (Doctae et liquidae.)
[Anno 1697 impressae, ex testimonio Bayle.]

1705. CAVE (GUILIELMUS), Canonicus Windesor. *Scriptorum Ecclesiasticorum Historia Literaria.* Genevae, sumptibus Chouet, etc., f°.
P. 46-48. (De Ath^ae scriptis ac vita documenta.)
[Ed. 1741, t. I, p. 79-81.]

EUSEBIUS. *Historia Ecclesiastica.* — *Migne*, Patrologiae Graecae tomus XX (Eusebii Operum, t. II). Lutetiae Parisiorum, ap. Migne editorem, magn. 8°, 1857.

HARNACK (ADOLF). *Die Ueberlieferung der griechischen Apologeten des 2. Jahrhunderts.* Leipzig, Hinrichs'sche Buchhandlung, 1882.
[Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, von Oscar von Gebhardt und Adolf Harnack, I. Band.]

HARNACK (ADOLF). *Geschichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius.* I. Theil. Die Ueberlieferung und der Bestand. Leipzig, Hinrichs'sche Buchhandlung, 1893.

HERTZBERG (G. F.) Gallica versio a Bouché-Leclercq edita. *Histoire de la Grèce sous la domination des Romains.* Paris, Leroux, 3 vol. 8°, 1890.

Καινὴ Διαθήκη (Ἡ). Novum Testamentum Graece. Theilii editionem recognovit perpetuaque collatione textus et Tregellesiani et Tischendorfiani ante et post inventum Sinaiticum editi locupletavit *Oscar de Gebhardt.* Ed. stereotypa quintadecima, ex officina Bernhardi Tauchnitz. Lipsiae, parv. 8°, 1890.

KORTHOLTUS, S. Theol. D. Academiae Kiloniensis Professor Primarius. *Paganus Obtrectator*, sive de Calumniis Gentilium in Veteres Christianos Libri tres. Lubecae, sumptibus Joannis Wiedermeyeri, 720 p. 4°, 1703.
[Publ. Bibl. Paris., Inv. D² 2.184.]

KRÜGER (Dr GUSTAV). *Geschichte der altchristlichen Litteratur in den ersten drei Jahrhunderten.* Freiburg im Breisgau und Leipzig, bei Mohr, 8°, 1895.
[Grundriss der theologischen Wissenschaften, 9te Abtheilung.]

MIGNE (J. P.). *Patrologiae Graecae* t. VI. Lutetiae Paris., apud Migne editorem, magn. 8°, 1857.
(Cf. supra *B*, *1857*, *Migne.*)

PLINE L'ANCIEN. *Histoire naturelle*, avec la traduction en français par *M. E. Littré*, Paris, chez Dubochet, 2 vol. gr. 8°, 1848, 1850.
[Collection Nisard.]

PLINIUS SECUNDUS. Epistulae.

PRELLER (L.). *Griechische Mythologie.* Dritte Auflage von E. Plew. Berlin, Weidmannsche Buchhandlung, 2 B. 8°, 1872, 1875.

RENAN (ERNEST). *Histoire des Origines du christianisme.* Paris, Calmann Lévy éditeur, 8°.
T. V. *Les Évangiles* et la Seconde Génération chrétienne, 2e édon, 1877.
T. VI. *L'Église chrétienne*, 2e édon, 1879.
T. VII. *Marc-Aurèle* et la Fin du Monde antique. 4e édon, 1882.

SCHUBRING (FRIEDRICH). *Die Philosophie des Athenagoras.* Berlin, Weidmannsche Buchhandlung, 26 p. 4°, 1882.

VIDAL-LABLACHE (PAUL), *Hérode Atticus.* Étude critique sur sa vie. Thèse. Paris, chez Thorin. 8°, 1872.

LIBRORUM INDICIS FINIS.

II. — LIBRI SEU DISSERTATIONES NON DIRECTO AD ATHENAGORAM SPECTANTES

(Ad quae saepissime tamen, praeter superiora, in hoc libro provocavit scriptor, — ex ordine *litterarum* disposita, quo facilius a quaerentibus reperiantur.)

ALLARD (PAUL). *Le Christianisme et l'Empire romain de Néron à Théodose.* 2e édon, Paris, librairie Lecoffre, 8°, 1897.
[Bibliothèque de l'Enseignement de l'Histoire ecclésiastique.]

ALLARD (PAUL). *Les Esclaves chrétiens* depuis les premiers temps de l'Église jusqu'à la fin de la domination romaine en Occident, 2e édon, Paris, librairie Didier, 8°, 1876.

ALLARD (PAUL). *Histoire des Persécutions pendant les deux premiers siècles,* d'après les documents archéologiques. Paris, Lecoffre, 8°, 1885.
[IIa editio vulgata est.]

ALLARD (PAUL). *La Situation légale des Chrétiens pendant les deux premiers siècles.* Diss.
[Revue des Questions Historiques, 1896, p. 5-43.)

BARDENHEWER (OTTO). *Patrologie.* Freiburg im Breisgau, bei Herder, gr. 8°, 1894.

BATIFFOL (PIERRE). *Anciennes Littératures chrétiennes. La Littérature grecque.* Paris, librairie Lecoffre, 8°, 1897.
[Bibliothèque de l'Enseignement de l'Histoire ecclésiastique.]

BOISSIER (GASTON). *La Fin du Paganisme.* Paris, librairie Hachette, 2 t. gr. 8°, 1891.

CAPITOLINUS (JULIUS). [Suétone, les Écrivains de l'Histoire Auguste, publiés sous la direction de M. Nisard; Paris, chez Firmin Didot, gr. 8°, 1865.]
Antoninus Pius, p. 329.
M. Antoninus Philosophus, p. 336.

DURUY (VICTOR). *Histoire des Romains* depuis les temps les plus reculés jusqu'à la fin du règne des Antonins.
Tome IV, depuis l'avènement de Néron jusqu'à la fin des Antonins. Paris, librairie Hachette, 8°, 1874.

EHRHARD (Dr ALBERT). *Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung seit 1880.* Allgemeine Uebersicht und erster Literaturbericht (1880-1884). Freiburg im Breisgau, bei Herder, 1894.
[Strassburger Theologische Studien, von Dr Albert Ehrhard und Dr Eugen Müller, I. Band, 4. und 5. Heft.]

P. 973-1024, De Resurrectione Mortuorum, Graecus textus et Latina translatio, cum notis et analysi.

Fine, Indices, et Joannis Henrici *Nolte* in Athenagoram conjecturae et emendationes (p. 1743-1760, 1807-1816).

(Magnopere utilis fuit atque etiamnum manet haec editio.)

1857. OTTO (J. C. TH.). *Athenagorae Philosophi Atheniensis Opera.* Ienae, ap. Mauke, 8°.

[Corpus Apologetarum christianorum saeculi secundi, vol. VII.]

(Prolegomena LXXV p., vide supra A. — Supplicatio, p. 1-185, Graece cum Latina versione. De Resurrectione Mortuorum. p. 186-291; id. Denique 4 Indices. Utrumque opus uberrimis doctissimisque notis munitum est. Cf. supra nostram Praefationem.)

1875. BIERINGER (ALOYS). [Germanica versio.] *Die Schriften des christlichen Philosophen Athenagoras aus Athen*, aus dem Urtext übersetzt, eingeleitet und erläutert. Kempten, ap. Jos. Kötel.

[Bibliothek der Kirchenväter.]

(Praestans et notis aucta versio.)

1876. MARCH (F. A.) et OWEN (W. B.). *Athenagorae duorum operum editio*, for schools and colleges. New-York, 8°.

[Douglass' Series of Christian-greek and latin writers, vol. IV.]

1891. SCHWARTZ (EDUARDUS). *Athenagorae libellus pro christianis, Oratio de Resurrectione cadaverum.* Leipzig, ap. Hinrichs, 8°; 3 m. 60.

[Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur von Oscar von Gebhardt und Adolf Harnack, IV. Band, Heft 2.]

[Publ. Bibl. Paris., 8° H 854.]

P. I-XXX, Praefatio.

P. 1-47. Libelli pro Christianis textus Graecus, quem accuratissime, a V. de Wilamowitz-Moellendorf adjutus, emendavit, et extremis paginis, apparatu critico munivit.

P. 48-79. Orationis de Resurrectione textus Graecus, eodem modo constitutus.

P. 80-143. Indices. Editionem ab Otto datam optime complet hoc opus, e quo Athenagoram continuo citabo. (Cf. supra meam Praefationem.)

B. — Athenagorae Editiones seu Translationes.

1557-1857

Athenagorae editiones seu translationes quae ante annum 1857, intra tria secula, editae sunt, descriptas in Nostri editione ab Otto data reperias, p. xxx-xliii, et p. xliii-xlviii. Hic disces Legationis editionem principem, anno 1557 ex officina Henrici Stephani, Conrado Gesnero interprete, Graece et Latine, Lutetiae Parisiorum esse prolatam.

Huic tamen catalogo velim inseras tria illia opera quae eruditum illum virum, etsi diligentissimum, nimirum fugerunt :

1. Arnaud du Ferrier (J. C.). (*Deux Opuscules, qui est tout ce qui se trouve d'Athenagore, Philosophe Grec, Chrestien, contenant :*
Une Apologie pour les Chrestiens, aux Empereurs Antonin et Commode,
Et un traité de la Résurrection des morts : l'un et l'autre mis nouvellement de Grec en François, avec quelques observations par) —. A Bourdeaux. Par S. Millanges, imprimeur du Roi, près la maison de la ville *. 1577. 60 feuillets, 4°.
[Publ. Bibl. Paris. C. 2027.]
(Satis pressa et elegans Apologiae versio.)
Jam Gallica translatio edita erat anno 1574, vide *Otto*, p. xlvi-xlvii.

* Idem typographus anno 1601 Charronis *Sapientiam* excudit (Cf. disquisitionem Domini Dast de Boisville : *Simon Millanges, imprimeur à Bordeaux de 1572 à 1623*, Bulletin du Comité des Travaux historiques, 1896, p. 788).

2. *Bibliotheca S. S. Patrum exegetica Graecorum et Latinorum*, ed. F. Oberthür, Wirceb. [Würzbourg], 1777-94, 34 vol. 8°.
[Publ. Bibl. Paris., Inv. C. 4231.]
T. III, p. 104-261. (Ath^ae textus, a Marano emendatus, sine notis editus est cum Latina versione.)

3. Paul (L.). *Athenagorae Apologiae editio*, cum lectionibus et notis. Halle, 1856, 8°.
(Haud sufficiens editio.)

1857-1897

1857. Migne (J.-P.). *Patrologiae Cursus completus. — Patrologiae Graecae t. VI; S. P. N. Justini opera quæ exstant omnia, necnon Tatiani, Hermiæ, Athenagoræ et S. Theophili quæ supersunt... illustrata opera et studio D. Prudentii Marani.* Lutetiae Paris., ap. Migne editorem, magn. 8°.
P. 887-972 Apologiae Graecus textus et Latina translatio, Conrado Gesnero interprete, cum multis notis et analysi.

1893. HARNACK (ADOLF). *Geschichte der altchristlichen Litteratur bis Eusebius.* Leipzig, Hinrichs. I. Theil. Die Ueberlieferung und der Bestand, bearbeitet unter Mitwirkung von Lic. Erwin Preuschen, 8°.

1. Hälfte, p. 256-258. (Pressissima notitia omnia continens documenta quae de Ath[a] hactenus reperta sunt.)

Id. ΛΟΓΟΘΕΤΗΣ (ΠΟΡΦΥΡΙΟΣ) [Σιναίτης]. Ἡ Θεολογία τοῦ Ἀθηναγόρου. Λειψία, τύπ. Bär et Hermann. 39 p. 8°. Leipzig, Phil. Falk., Inaug. Diss.

1894. BARDENHEWER (OTTO). *Patrologie.* Freiburg im Breisgau, bei Herder, gr. 8°.

P. 105-108. « 1. Antiquitatis testimonia. — 2. Legatio. — 3. De Resurrectione libellus. — 4. Codices, editiones, de Ath[a] scripta. »

Id. EHRHARD (D[r] ALBERT.) *Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung seit 1880.* Allgemeine Ubersicht und erster Literaturbericht (1880-1884). Freiburg im Breisgau, bei Herder.

[Strassburger Theologische Studien, herausgegeben von D[r] Albert Ehrhard und D[r] Eugen Müller. I. Band, 4. u. 5. Heft.]

P. 88-89. (Dissertationes a Schubring et a Joannide elucubratas colligit scriptor.)

1895. KRÜGER (D[r] GUSTAV). *Geschichte der altchristlichen Litteratur in den ersten drei Jahrhunderten.* Freiburg i. B. und Leipzig, bei Mohr, 8°.

[Grundriss der theologischen Wissenschaften, 9[te] Abtheilung.]

§ 41, p. 81-82.

1897. HARNACK (ADOLF). *Die Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius.* 1. Band. Leipzig, Hinrichs'sche Buchhandlung, 8°.

P. 317-319. (De Athenagorae scriptis et vita.)

Appendix, in p. 318, p. 710. (De Legationis aetate.)

Temporis tabula, p. 723.

Id. BATIFFOL (PIERRE). *Anciennes Littératures chrétiennes. La Littérature grecque.* Paris, librairie Lecoffre, 8°.

[Bibliothèque de l'Histoire ecclésiastique.]

P. 93. (Luculente ac breviter collegit ea quae de Athenagora memoria tenenda sunt; num autem jure scripsit de ejus Legatione : « C'est une apologie toute politique. »?

1884. ZAHN. Diss.
[Forschungen zur Geschichte des Kanons u. s. w. T. III, p. 60.]

1886. CHEVALIER (ULYSSE). *Répertoire des Sources historiques du Moyen Age.* Bio-bibliographie. Paris, Librairie de la Société bibliographique, gr. 8°.
P. 184, *Athénagore.* (Ditissimus scriptorum de hoc librorum Index.)

1887. RICHARDSON (E. C.). *The Ante-Nicene Fathers*, Buffalo.
In Supplemento *Bibliographical Synopsis*, p. 36-38.

Id. VOLLET (E. H.). Diss. *Athénagore.*
[La Grande Encyclopédie, Inventaire raisonné des sciences, des lettres et des arts. Paris, chez H. Lamirault, 4°.]
(In *Bibl.* corrige annum operis Mosheim, quod primum non 1767, sed 1719 editum est.)

Id. WILHELM (FRID.). *De Minucii Felicis Octavio et Tertulliani Apologetico.* Comm. inaug.
[Breslauer philologische Abhandlungen, vol. II, fasc. I., 86 p. 8°.]
[Publ. Bibl. Paris., 8° Z 11, 121.]
De Athenagora, p. 71, n. 4 et passim. (Ex hoc quidquam hausisse aut Minucium aut Tertullianum negat scriptor.)
Brevior editio Vratislaviae, ap. Koerner, 42 p.

1888. CHEVALIER (ULYSSE). *Répertoire des Sources historiques du Moyen Age.* [V. supra 1886.] *Supplément.*
P. 2430, *Athénagore.* (Superadditi novi de Nostro libri.)

1890 (Vers). DUCHESNE (L'ABBÉ L.). *Les Origines chrétiennes.* Leçons d'Histoire ecclésiastique professées à l'École Supérieure de Théologie de Paris (lithographiées). Nouvelle édition, revue par l'auteur. Paris, Imp. lithog. Blanc-Pascal, rue de l'Estrapade, 27, s. d.
[Hoc opus typis jamjam mandaturus est auctor.]
1er Cahier, p. 211-213. (Expendit Sanctae Trinitatis doctrinam ab Ath^a^ expositam.)

1890. LEHMANN (J.). *Die Auferstehungslehre des Athenagoras.* Inaug. Diss., Leipzig, Druck von Pöschel und Trepte. 84 p. 8°.
[Publ. Bibl. Paris., 8° Θ Lpz. ph. 1.114.]

1891. SCHWARTZ (EDUARDUS). *Athenagorae Libellus pro Christianis. Oratio de Resurrectione cadaverum.* Leipzig, Hinrichs, 8°.
Praefatio, p. III-XXX. (Haec accurata est disputatio praesertim de Codicibus.)

1892. PREUSCHEN (ERWIN). Diss. in Athenagorae editionem a Schwartz anno 1891 datam.
[Theologische Literaturzeitung, von A. Harnack und Schürer. T. XVII, p. 543-546.]
[Publ. Bibl. Paris., f° Q 5.]
(Illam editionem diligenter idemque aspere judicat.)

1879. DIELS (H.). *Doxographi Graeci.* Berlin, ap. Reimer, gr. 8°.
[Publ. Bibl. Paris., 8° Z. 1374.]
P. 4, 5, 40, 90. (De quibusdam Athenagorae locis.)

1881. DRÄSEKE. *Der Brief an Diognetos*, diss.
[Jahrbücher für protestantische Theologie. Leipzig, 1881, p. 213-283, 414-485.]
(Multa passim de Ath^a^.)

Id. NIRSCHL (Dr JOSEPH). *Lehrbuch der Patrologie und Patristik.* Mainz, Verlag von Franz Kirchheim, 3 B. 8°, 1881-1885.
T. I, p. 164-171. (Potissimum Ath^ae^ theologiam scrutatur scriptor.)

1882. HARNACK (ADOLF). *Die Ueberlieferung der griechischen Apologeten des 2. Jahrhunderts.* Leipzig, Hinrichs'sche Buchhandlung, 8°.
[Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, von Oscar von Gebhardt und Adolf Harnack. Ier Band.]
(Multa documenta de Ath^ae^ codicibus, praesertim cap. I°, § 3, 4, 5; cap. II°, p. 175-189.)

Id. DUCHESNE (L'ABBÉ L.). Diss. in opus a Gebhardt et Harnack vulgatum [proxime dictum].
[Bulletin Critique, t. III, p. 184-188.]
(Eusebii silentium de Ath^a^ explicare tentat doctissimus vir, vide infra, p. 19, n. 3.)

Id. LOESCHE (Dr GEORG) in Berlin. *Minucius Felix' Verhältniss zu Athenagoras.* Diss.
[Jahrbücher für protestantische Theologie. 1882, p. 168-178.]
(Ex hac disputatione Ath^am^ imitatus est Minucius.)

Id. RENAN (ERNEST). *Histoire des Origines du Christianisme.* L. VII, *Marc-Aurèle* et la Fin du Monde antique. 4e éd^on^, Paris, Calmann Lévy, éditeur, 8°.
P. 381-386, et passim. Vide universum Indicem in ultimo volumine. (Utriusque operis praebet argumentum et citatos locos.)

Id. SCHUBRING (FRIEDRICH). *Die Philosophie des Athenagoras.* Wissenchaftliche Beilage zum Programm des Köllnischen Gymnasiums. Ostern. Berlin, Weidmannsche Buchhandlung. 4°, 26 p.
(Eruditissima dissertatio non tam de Ath^a^ praecipue quam de historia variarum Graecae philosophiae sectarum.)

1883. GEBHARDT (OSCAR VON). *Der Arethascodex, Paris. Gr. 451.*
[Texte und Untersuchungen... cf. supra, *1882, Harnack.* T. I, fasc. 3.]

Id. JOANNIDES (ANTHIMUS), Peloponnesius. Πραγματεία περὶ τῆς παρ' Ἀθηναγόρα φιλοσοφικῆς γνώσεως. Inaug. Diss. Ienae, typis Fromanni, 44 p. 8°.
[Publ. Bibl. Paris., 8° Θ. Iena Ph. 73.]
(Anquirit quatenus A. cum Graecis doctrinis, potissimum cum Platonica et Stoica congruat.)

1859. GRAESSE. *Trésor.*
T. I, p. 245.

1860. FREPPEL (L'ABBÉ), professeur à la Faculté de théologie de Paris. *Les Apologistes chrétiens au IIe siècle*, 2e série. Cours d'éloquence sacrée fait à la Sorbonne pendant l'année 1859-1860. Paris, chez Ambroise Bray, 8°.
De Athenagora : 6e, 7e, 8e, 9e et 10e Leçons, p. 112-218. (Oratoria, diligens tamen de Atha commentatio, atque uberrima quae Gallico effecta est sermone.)

1861. PRESSENSÉ (E. DE). *Histoire des trois premiers siècles de l'Église chrétienne.* Paris, chez Meyrneis, 6 vol.
T. I, p. 172-175. (Parum benevolus in Athenagoram.)

1862-63. CACHEUX.
[Mém. cathol. B. III, 278-83; 333-36; 441-44; IV, 21-26.]

1864. HEFELE (E.-J.). *Beiträge zur Kirchengeschichte, Archäologie und Liturgik.* Tübingen.
T. I, p. 60-86. (« Lehre des Athenagoras und Analyse seiner Schriften. »)

Id. UEBERWEGS (FRIEDRICH). *Grundriss der Geschichte der Philosophie.* 7. Auflage, herausgegeben von Dr Max *Heinze*, Berlin, Siegfried, Mittler und Sohn, 3 Bänder, 8°, 1886.
I. Band, p. 62; II. B. § 9, p. 48, 50-51, 59, 73. (Athenagorae utrumque opus colligitur.)
[8a editio in lucem nuperrime prolata est, anno 1897.]

1868. FÖRSTER (Dr RICHARD). *Ueber die ältesten Herabilder.* « Zur öffentlichen Prüfung der Schüler des hiesigen Gymnasiums zu St. Maria Magdalena, an 1., 2. et 3. april 1868 ladet Dr Carl Schönborn. » Breslau, Druck von Grass, Barth und Comp. (W. Friedrich). 4°, 68 p.
[Bibl. Univ. Paris. C. 279 (18) Acquisitions n° 26.589. H: Æ.]
P. 1-28. (Vide IIam nostram Appendicem.)

Id. ROHRBACHER. *Histoire universelle de l'Eglise catholique.* Paris, chez Gaume, gr. 8°, 5e éd.
T. III, p. 112-117. (Athae utriusque operis argumentum et citati loci.)

1871. LAFORÊT (N. J.). Diss.
[*Revue catholique*, Louvain. B. VI, p. 198-215.]

1872. VOIGTLÄNDER (TIT.). Diss.
[*Beweis des Glaubens*, VII. P. 36-47.]

1874. DARRAS (L'ABBÉ). *Histoire générale de l'Église.* Paris, chez Louis Vivès, 8°.
T. VII, p. 331-341, 420-423. (Pleraque a presbytero Freppel hausit scriptor.)

1841-42. PERMANEDER. *Bibl. Patrist.*
T. I, p. 416; t. II, p. 175-191.

1842. BRUNET (J.-C.). *Manuel du Libraire.* Paris, chez Firmin Didot. 8°.
T. I, Athenagoras, p. 207.
[5e éd., 1860, col. 537-538.]

1846. KONTOGONES (CONSTANTINUS). Φιλολογική καὶ κριτικὴ Ἱστορία τῶν κατὰ τὰς τρεῖς πρώτας τῆς ἐκκλησίας ἑκατονταετηρίδας ἀκμασάντων ἁγίων πατέρων καὶ τῶν συγγραμμάτων αὐτῶν. — Ἐν Ἀθήναις.
P. 255.

Id. VACHEROT (E.). *Histoire critique de l'École d'Alexandrie.* Paris, chez Ladrange, 8°.
T. I, p. 232-235. (Ostendit quid Athas a Stoicis mutuatus sit, sed non satis diligenter explicare videtur quid de Trinitate ac de mundo senserit.)

1847. BLANC (L'ABBÉ P. S.), vicaire général de Reims et de Montauban. *Cours d'Histoire ecclésiastique.* IIe partie. *Précis historique,* t. I. Années 33-200. — Origines chrétiennes. Paris, chez Gaume, 8°.
P. 229-232. (Legationis theologiam defendit.)

1854. DARLING. *Cyclop. Bibl.*
P. 126-127.

Id. SAVARESSE (GIAMBATT.).
[La Scienza e la fide, A, XXVII, 9-27; XXVIII, 289-316, 385-411, 473-489.]

1855. BOSSERT (AD.). *Étude sur les commencements de la dogmatique chrétienne. Le traité d'Athénagore sur la résurrection des morts.* Strasbourg.
(P. 16 sqq. expensa est ejusdem Legatio.)

1856. OTTO (C.). *De Athenagora* dissertatio.
[Zeitschrift für die historische Theologie, t. XXVI, p. 637-644.]

1857. MIGNE (J.-P.). *Patrologiae Cursus completus.* Lutetiae Paris., apud Migne editorem, magn. 8°.
Patrologiae Graecae, t. VI. P. 9-206, Marani relata Praefatio [vide supra *1742*]. (De Athenagora, p. 182-197 et passim.)

Id. MÄRKEL. *De Athenagorae libro apologetico qui* Πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν *inscribitur.* Kœnigsberg.

Id. OTTO (JOANN. CAROL. THEOD.). *Athenagorae Philosophi Atheniensis Opera.* Ienae, ap. Frider. Mauke, 8°.
Prolegomena in opera Athenagorae, p. XI-LXXV. (« De Codicibus manuscriptis, editis, in alias linguas versis. De Athae dictione. Argumenta operum. De inscriptione et aetate Supplicationis. »)

1858. HEFELE. *De editione Athenagorae ab Ottone data.* Diss.
[*Theologische Quartalschrift*, 1858, p. 148.]

1754. HOVEN (J. DAN. VAN). *Disputatio de inscriptione et vera aetate Πρεσβείας Athenagorae pro Christianis*. Lipsiae, 4°.

1766. BRUCKER, *Historia critica Philosophiae*. Lipsiae.
T. III, p. 401-407. (In Ath^am^ indignatur quod a philosophia multa duxerit.)

1784. LUMPER. *Historia Sanctorum Patrum*.
T. III, p. 50-104.

1788. BERGIER (L'ABBÉ). *Dictionnaire de Théologie*. Paris.
T. I, diss. *Athénagore*. Nouv. éd. Paris, chez Gauthier frères, 1834.
(Imprimis contra Protestantes defendit A^am^.)

XIX. SECULUM

1819. CLARISSE (THEOD. ADR.). *Commentatio... de Athenagorae Vita, Scriptis et Doctrina*. Lugduni Batavorum (Gallice *Leyde*), 1819, 116 p. 4°.
[Ann. Acad. Lugd. Batav., 1818-1819.]

1824. GUILLON (M. N. S.). *Bibliothèque choisie des Pères de l'Église grecque et latine*. Paris, Méquignon, 1824-1828, 26 vol. 8°.
T. I, p. 335-343. (Vide nostram Conclusionem.)

1830. DOETZSCH (FR. GUIL.). *De Notione Trinitatis apud Athenagoram*. Halis, 1830.

1832. HOFFMANN. *Lex. bibl. Gr.*
T. I, p. 427-430.

1833. KAISER (H. E.). *De codice ms. Athenagorae Lubanensi* disseruit ejusque variantes lectiones enotavit.
« Zur öffentlichen Prüfung der Zöglinge des Kön. Gymnasii am 26. u. 27. Sept. 1833 ladet ein Dr Schmieder ». Brieg, bei C. G. Wohlfart, 4°.
(Accuratissima collatio.)

1834. WALCH. *Bibl. Patr.*
P. 29-30, 370.

1840. MÖHLER (J.-A.). *Patrologie*, edita a Reithmayer, 2 tomi, Regensburg.
Traduction française par Jean Cohen. Paris, Debécourt, 1843.
T. I, p. 290-307. (De Ath^ae^ scriptis, doctrina, editionibus.)

1841. RITTER (HEINR.). *Geschichte der christlichen Philosophie*. Hamburg.
T. I, p. 184 sqq., p. 313 sqq.
[Gallica translatio a J. Trullard, *Histoire de la philosophie chrétienne*. Paris, chez Ladrange, 1844, 8°. P. 275-288.]
(In A^am^ prorsus malevolum judicium.)

1712. FABRICIUS (JO. ALB.). *Bibliotheca Graeca.* Hamburgi, sumptu Felginer, 14 vol. 8°.

T. V, p. 85-91. (« De Athenagora Atheniensi. Editiones Apologiae et libri de Resurrectione. Liber de vero Amore Ath[ae] suppositus (uberrima disquisitio). Athenagorae alii undecim » (scilicet undecim alii viri eodem nomine vocati.)

P. 97-102. Index Scriptorum quorum meminit Ath[as].

[Sa edit., 1718, t. VII, p. 95-101, 116-119.]

1719. MOSHEIM (JO. LAUR.). *De vera aetate libelli ab Athenagora pro Christianis conscripti disquisitio,* in Bibl. hist.-phil.-theol. Bremae, t. II, p. 853-883.

[Postea, in ejusdem *Observ. sacr.*, 1721, p. 193, atque in ejusdem *Dissertationibus ad historiam Ecclesiae pertinentibus.* Altonae, 1733, t. I, p. 269; 1743, 2a ed°.]

(Apologiam tribuit anno 177.)

1722. OUDIN (CASIMIR). *De Scriptoribus Ecclesiae antiquis.* Lipsiae, 3 vol. f°.

T. I, p. 203-206.

1725. FABRICIUS. *Verit. Relig. Christ.*

P. 51-54.

1730. CEILLIER (DOM), bénédictin. *Histoire générale dès Auteurs sacrés et ecclésiastiques.* Paris, chez Lottin, 4°.

T. II, p. 112-123 [Sa ed., p. 481-487]. (Utriusque operis argumenta. De his judicium. Editiones.)

1733. RAU (JOACH. JUSTUS). Diatribe *historico-philosophica de Philosophia Sanctorum Patrum Justini Martyris et Athenagorae.* Ienae, 4°.

(Praestanter ostendit quae A. e philosophia hauserit.)

1736. LEYSER (A. POLYC.). *Diss. de Athenagora Atheniensi philosopho christiano.* Lipsiae, 4°.

1742. MARANUS (D. PRUDENTIUS). *Justini Philosophi Martyris Opera.* necnon Tatiani adversus Graecos Oratio, *Athenagorae Legatio pro Christianis.* Parisiis, M.DCC.XLII.

P. VI-VIII, XVII-XIX, XXI-XXII, CX-CXX, 277, et Indice rerum : *Athenagoras.* (De Athenagorae editionibus, gestis et scriptis, ac praesertim theologia.)

1746. LA CROZE (MATHURIN VEYSSIÈRE DE) [1661-1739]. *Thesauri epistolici Lacroziani.* Lipsiae, 4°.

T. III, p. 249 sqq. Epistola ad J. C. Wolfium. (Fumaei fraudem copiose demonstravit, quae ceterum jamdudum aperta erat, cf. supra *1670, 1692, 1712.*)

1750. DUFOUR DE LONGUERUE (LUD.). *Dissertatio de Athenagora,* ed. J.-D. Winckero. Lipsiae, parv. 4°.

Id. FLEURY (*Histoire Ecclésiastique par M.*). Paris, chez Le Mercier, 4°.

T. I, p. 383-389. (Vivide ac diligenter Apologiam colligit.)

1752. HOVEN (J. DAN. VAN). *Disputatio de vera aetate Legationis Athenagorae pro Christianis.* Lingae, 4°.

DE

APOLOGIA ATHENAGORAE

CAPUT I

De Apologiae genere, II° post Christum seculo [1].

Nomen *Apologiae* [n. 1]. — Cur hoc genus II° seculo apparuerit [p. 1]; cur prius apud Graecos [p. 3].

I. — Graeci philosophi ad christianam fidem conversi [p. 3] : Quadratus. Ad Diognetum Epistula. Aristides. Justinus. Miltiades.

II. — Asiae Minoris episcopi [p. 6] : Melito. Claudius Apollinaris. Theophilus. — Tatianus et Hermias.

Major circa annum 176 Christianorum vexatio [p. 8]. — Athenagoras.

Secundo post Christum natum ineunte seculo, recens religio, quae prius pauperes plurimos atque humiles prae ceteris, imperitos scilicet et illiteratos allexerat, magis postea pervulgata et plenius exposita, intellegentes doctosque viros, in primis philosophos sibi conciliare coepit. Hi, quamvis totam mentem integre atque vitam novae fidei dedissent, animum tamen inducere non potuerunt ut philosophiam omnem ideo respuerent aut, si recentiorem locutionem hic adhibere licet, quae ado-

1. *Apologiae* voce, ab Appuleio et Hieronymo usurpata, eruditorum virorum *Forcellini* et *Freund* auctoritate fretus, utar ad significandas christianae fidei defensiones illas, quae Graece ἀπολογίαι inscribebantur; ad eumdem modum *apologetico* adjectivo : nam semper celebre illud Tertulliani opus dictum est *Apologeticum* vel *Apologeticus*, sive nomen *operis*, sive nomen *libri* subauditum est. — *Apologetae* autem vocis, quae christianum Apologiae scriptorem designet, nullum Latinitas praebet exemplum; jamdudum tamen haec, ut praecedentes, a Germanis adhibita est, quare eam quoque adsciscam.

raverant, ea comburerent. Cum autem permagnam prioris scientiae suae partem novae doctrinae consentaneam esse sentirent, non committebant ut eam deponerent. Immo ea ad utilitatem christianae fidei verti posse illis videbatur, habendaque esse quasi amplum patulumque vestibulum, quo ad veri Dei templum adiretur.

Itaque, illa aetate qua eximie philosophia, cum a Platonis tum a Zenonis discipulis culta, floreret, nostri non passi sunt a tot tamque eruditis viris, hesternis collegis sociisque suis novam doctrinam despici, quae humanae rationi durius repugnaret nec nisi ad pueriles aut aniles animos, rudes stolidasque mentes pertinere diceretur[1]; sed fidem suam contra pejorem istam opinionem defendere instituerunt, ideoque illam coram doctis exponere qualis esset, necnon ostendere quam mire cum probatissimis philosophorum, praesertim Platonicorum, doctrinis congrueret.

Inter viros autem qui intellegebant, primi erant persuadendi Antonini illi principes qui, ab exeunte primo seculo compotes summi imperii, maximam humanitatem et peculiare philosophiae studium prae se ferebant, ut, luce facta, Christianos, si non tuerentur, minus saltem vexarent.

Praeterea, cum doctis ipsis viris inter Paganos accideret ut vulgi crimina reciperent[2], quibus dicebantur Christiani turpissima scelera admittere, sicut flagitiosas commissationes et pessima stupra et infantium trucidationes, defensores novi portentosas illas calumnias refellere voluerunt, aperiendo puros et sanctos fratrum suorum mores philosophiaeque expositionibus descriptiones jungendo morales.

1. Sic apud Minucium Felicem paganus Caecilius Christianos appellat « studiorum rudes, litterarum profanos, expertes artium etiam sordidarum » *Octavius*, caput 5. Consule Korthholti librum, *Paganus Obtrectator* (vide supra, Indicem, II), liber III, cap. xiv, *De misera Christianorum a Paganis exagitata sorte*.

2. Hoc exemplo suo Celsus plane ostendit.

Inde ortum est in Graecia novum sacrarum litterarum genus, Apologia, quae ad eloquentiam simul et ad philosophiam pertinere videtur, eaque nonnulla quidem praestantia edidit opera.

Cur apud Graecos potius quam apud Romanos hoc genus natum sit, facile perspici potest. Nam Romani atque in universum Occidentis incolae, ingenio suo instincti, satis habebant ad vitam regendam christiana uti doctrina; quamobrem ejus moralis pars fere sola eis curae solebat esse. Graeci autem, quos constat semper ratiocinandi et disputandi avidos fuisse, proprium acumen ingenii tunc adhibuerunt ut doctrinam recentiorem, sibi propositam penitus intellegerent, explicarent, denique elaborarent, interdum etiam ultra modum progressi et sua ipsi subtilitate decepti, ita ut in Oriente plures una et haereses et Apologias resonantes audire fuerit.

Quod igitur ad nostrum attinet genus, prima quae in tota Ecclesia composita esse videtur Apologia, fuit Graeca quidem, ante annum 130 a Christo[1]; primum autem ejusdem modi opus Latino sermone scriptum ultimis solum II[i] seculi annis cum Tertulliano apparuit, nisi forte Minucii Felicis *Octavium* antea compositum esse contendas, quo nihil incertius[2].

Ergo inter Graecos philosophos qui christianam amplexi erant disciplinam, tam opportunum opus haud pauci aggressi sunt. Primus quidem, de quo audivimus, apologeta est *Quadratus* quidam, qui Athenis Apologiam ad imperatorem Hadrianum, circa annum 126 misit, ab historicis « apostolorum discipulus » appellatus[3] ac nimirum philosophus, ut noster *Renan* suspicatur[4].

1. Quadrati scilicet, de quo infra.
2. Cf. Boissier, *La Fin du Paganisme*, t. I, p. 305 sqq., et infra. p. 118 et 119.
3. Vide Otto Bardenhewer, *Patrologie*, Freiburg im Breisgau, Herder, 8°, 1894, p. 85. Hunc librum catholicum, ubi exposita sunt novissima de hac materie studia, persaepe citabo.
4. *Histoire des Origines du Christianisme*, t. VI, 2[e] édit., 1879, Paris, Calmann Lévy, p. 38, n. 3.

Non ad principem ipsum, sed ad amplissimum virum, fortasse principi familiarem [1], nomine Diognetum destinata est auctoris nunc ignoti cujusdam Epistula, quae, tametsi minoris faciebat Graecorum philosophiam, Christianos contra Judaeorum pariter et Gentilium calumnias defendere tentabat [2].

Eodem tempore *Aristides*, « philosophus Atheniensis », Christi fidei addictus, ad Antoninum Pium [3] mittebat Apologiam, quae post nuper editos Armeniacum et Syriacum codices annis 1878 et 1889 recentioraque studia iis impensa, inter Graeca Sancti Damasceni Joannis opera, ubi latebat, reperta est : hic, uno veroque Christianorum Deo adversus falsos Graecorum et Barbarorum deos obsoletosque Judaeorum ritus jam vindicato, eximie erant expositi Christianorum mores [4].

Brevi postea sonuit pro Christianis clarior illustriorque vox philosophi *Justini*, qui, in Syria natus, postquam, veritatem sitiens, omnes vicissim philosophiae fontes, Stoicos, Peripateticos, Pythagoricos et Platonicos adierat, tandem christianam erat amplexus fidem [5], non ideo philosophi habitu rejecto, nam vel christianus « ἐν φιλοσόφου σχήματι », ut ait Eusebius [6], permanserat. Qui, Romae plerumque vivens et animo iniquo ferens vim saepius Christianis illatam, Apologiam circa an-

1. Haec est sententia Pauli ALLARD, quem, ut RENAN, maxima de hoc tempore auctoritate frui constat (*Revue des Questions historiques*. 1896, p. 34).

2. De hac Epistula confer BARDENHEWER, *op. cit.*, p. 79-83, et RENAN, *op. cit.*, p. 423-429.

3. Non ad Hadrianum, quod falso crediderat retuleratque Eusebius.

4. Vide BARDENHEWER, p. 85-87. Omnino erraverat *Renan* (t. VI, p. 6, n. 2), dum vehementer negat fragmentum anno 1878 editum Aristidi referendum esse; quod postea certo probatum est. — Praeterea anno 1883 doctissimus cardinalis *Pitra* in Armeniaco et Lutetiae recondito codice reperit breve Epistulae fragmentum, « Ad omnes Philosophos » inscriptae atque Aristidi attributae, in qua de simillima materia esse actum facile suspiceris. De hac inventione consule Dr ALBERT EHRHARD, *Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung seit 1880*, Freiburg im Breisgau, Herder, 8°, 1894, p. 85. Attamen *Petrus Batiffol*, fretus *P. Pape* et *Harnack* auctoritate, hoc fragmentum Aristidi tribui non posse declarat (*La Littérature grecque*, Paris, Lecoffre, 1897, p. 88, n. 1).

5. Haec est ipsa materia *Cum Tryphone Judaeo Dialogi*.

6. Historia Ecclesiastica, IV, 11.

num 150 pro fratribus misit « Αὐτοκράτορι.... Ἀντωνίνῳ Εὐσεβεῖ Σεβαστῷ Καίσαρι, — Οὐηρισσίμῳ υἱῷ φιλοσόφῳ (scilicet Verissimus ille erat mox sub Marci Aurelii nomine regnaturus), καὶ Λουκίῳ φιλοσόφῳ, ... Εὐσεβοῦς εἰσποιητῷ υἱῷ, ἐραστῇ παιδείας, ἱερᾷ τε συγκλήτῳ, καὶ δήμῳ παντὶ Ῥωμαίων... [1] ». Hac longa et vivida oratione, non stricto ordine distincta, sed sententiis plenissima et alacri permota impetu, deprecatur orator ne pro solo nomine vexentur Christiani, sceleris rei nullius; veram esse christianam religionem demonstrat per Prophetias quas fuse citatas commentatur, Deumque suum longissime paganis diis praestare; quidquid boni vel veri excogitaverint veteres philosophi, a sacra Scriptura ductum asseverat, atque, ut Christianorum innocentiam in meliorem lucem collocet, non dubitat, repugnante celebri « arcani disciplina », eorum mores et ritus ipsos, qualia Missae sacrificium sacramentaque Baptismatis et Eucharistiae describere [2].

Paulo post, tribus christianis viris ob solum christianum nomen a praefecto Romae supplicio affectis, Justinus idem, sancta ira incensus, secundam brevioremque Apologiam edidit, titulo « Ad Senatum » inscriptam, quae vero, uti patet ex ultimo capite, Antoninum et Marcum Aurelium imperatores ambos alloquitur. Haec posterior defensio, vel potius oppugnatio, philosophia quidem minus etiam imbuta quam prior, sed miro animi impetu atque audacia plenior, quasi martyrii cupiditatem reipsa spirat [3].

Ergo strenuus et eloquens Christianorum propugnator, Crescentii odio philosophi cynici exagitatus, in quem dire invectus erat, Romae cum sex sociis, primo flagellatus, dein capite truncatus, generosam temeritatem morte luit, circa annum 163,

1. Migne, *Patrologiae Graecae* t. VI, p. 328-329.
2. Justini Apologia Prima.
3. Inter annos 155 et 160 compositum est hoc opus (*Batiffol*, cit., p. 97).

praefecto Urbis Junio Rustico qui philosophiam quondam principem docuerat, imperante Marco Aurelio ipso ad quem duplicem Justinus miserat Apologiam[1].

Hoc primum apologetae martyrium haud christianae fidei defensorum fregit animos. *Miltiades* enim (faustum nomen quod virtutem praenuntiet!) maxima scientia summoque ingenio Apologiam, infeliciter amissam, composuit, imperatoribus Marco Aurelio Lucioque Vero nimirum dedicatam, scilicet ante annum 169, quo Verus obiit, « ecclesiarum sophista », id est earum philosophus simul et patronus, a Tertulliano vocatus[2].

In Orientis autem ecclesiis, christianis Graeciae philosophis aemulabantur doctrina et ingenio, ad fidem in publico defendendam, Asiae Minoris episcopi, qui, plurimi et doctissimi, cum proconsulibus omnium immanissimis[3] decertabant. Sardensis enim episcopus, *Melito* nomine, qui diversis favebat studiis indefessus maximaque fama florebat, circa annum 175 misit ad Marcum Aurelium Apologiam, ubi fidei christianae Romanum imperium reconciliare tentavit, quod ostendunt duo praestantissimi illius loci nobis ab Eusebio servati[4].

Ad eumdem etiam imperatorem Apologiam misit *Claudius Apollinaris*, episcopus Hierapolitanus, qui, ut ad justiores erga Christianos sensus principem revocaret, eam recentem pluviam commemorandam curavit, quae apud Quados in sitientes legiones, precantibus Christianis, subito delapsa erat[5].

1. De hoc martyrio vide VICTOR DURUY, *Histoire des Romains*, Paris, Hachette, t. IV, 1874, p. 474, 435-436; BARDENHEWER, cit., p. 88-89; PAUL ALLARD, *Le Christianisme et l'Empire romain de Néron à Théodose*, 2e édition, Paris, Lecoffre, 1897, p. 57-58; etc.

2. Adversus Valentian., cap. 5. — De Miltiade vide BARDENHEWER, p. 114, et RENAN, t. VII, p. 191 et 281. — Hanc quidem Apologiam antea, simul cum Prima Justini, editam esse opinatur BATIFFOL, p. 92-93.

3. Cf. RENAN, t. VII, p. 280.

4. Vide BARDENHEWER, p. 114; RENAN, t. VII, p. 178-190, 281-286 : hi Apologiam paulo antea ponunt, BATIFFOL autem inter annos 175-180 (p. 100).

5. BARDENHEWER, p. 115; HARNACK, *Geschichte der altchristlichen Litteratur*, Leipzig, 1893, p. 243-246; BATIFFOL, qui Apollinaris Apologiae temporis spatium

Sub idem tempus *Theophilus*, ad fidem christianam conversus, qui nimirum Antiochenus episcopus fuit, ad amicum quemlibet paganum et doctum, nomine Autolycum, Apologiae libros tres venusto sermone misit, ubi sanctae Trinitatis doctrinam exponit et ante omnia, Deum ad neminem nisi ad credentem accedere probans, fidei condiciones explicat intimas [1].

Extra autem omnes hos defensores qui plerumque communes inter novam religionem et veterem philosophiam partes deprehendere studebant, notandus est Justini sodalis et discipulus, Syrus origine, nomine *Tatianus*, qui, Christi disciplinam et ipse amplexus, paucis annis post 150 [2], vehementissimam Apologiam composuit, quam acerbam potius adversus Paganos orationem quam christianae philosophiae defensionem jure appellares : ceterum is brevi, postquam sectam Encratitarum fundavit, ab Ecclesia discessit [3]. — Eodem certe animo instincta erat, etsi non eadem vi praedita, illa quae paulo post composita est ab *Hermia* philosopho « Irrisio gentilium philosophorum » [4].

Ergo jam Apologiae Graecae quinque, Justini Prima et Secunda, Miltiadis, Melitonis, Apollinarisque missae erant ad Marcum Aurelium, quocum vere philosophia imperatoriam induisse purpuram dici potest; his autem tot defensionibus et deprecationibus maximi principis animus nullo modo permotus esse videbatur, non quod acri ipse odio in Christianos flagrabat,

169-176 assignat (p. 99); Renan, t. VII, p. 190 et 281. Quo autem divinationis miraculo callidissimus hic vir, ex informibus quae superfuerunt Apollinaris fragmentis, eum quasi nostri *Dupanloup* antecessorem quemdam fuisse finxerit?

1. Bardenhewer, p. 108-112. Non dubitat Renan, quin Theophilus Antiochenus fuerit episcopus, t. VII, p. 386-389. Hoc Batiffol contra valde dubitat atque illum nonnullis annis post 180 scripsisse conjicit (p. 101-102).

2. Tatiani Apologia prodiit paulo post 150 secundum Zahn, paulo post 152 secundum Harnack, inter 163 et 167 secundum Funk et Batiffol (p. 91). Cf. Bardenhewer, p. 100.

3. Cf. Renan, t. VII, cap. VI et X.

4. Vide Bardenhewer, p. 113. At Ceillier, hoc opus non ante IVum, Harnack non ante VIum seculum exaratum esse conjiciunt. Cf. Batiffol, p. 94-95.

nec plerumque eos vexari directo ipse jubebat; sed turba, ubique ignara, ut fit, et superstitione laborans, publicas quaslibet calamitates novae sectae vitio vertebant atque eos qui hanc adepti erant, summa vi interdum contra leges quaesitos magistratibusque a sycophantis delatos, turpissimorum insimulabant scelerum. Talibus in temporibus praetores et proconsules aut sua sponte, ut refert Melito[1], duriores etiam leges in Christianos edicebant, aut consulendum curabant imperatorem; qui, superioris seculi antecessorum vestigia secutus et ipse maxime aspernatus istos novi et ignoti cultus sectatores, consulenti rescribere solebat, qui Christianos se esse faterentur, illos capite puniendos, ita ut Christianorum caedes ipse vel ignoraret vel praeciperet imperator[2].

Itaque, circa annum 176, sub finem Germanici belli quod tot annos lacessebat imperium et post Avidii Cassii in Oriente seditionem, delatoribus undique saevientibus, publicus in Christianos furor maxime incaluit, immo eo immanitatis pervenit quo nunquam ante Decium : Sardinia relegatis adimpleta, primum in Africa facti martyres, Oriens praesertim crudeliter vexatus, Byzantii fere tota ecclesia nece confecta, Asia, ubi caecior turba et saeviores proconsules et plures Christiani, etiam atque etiam cruentata[3].

In medio igitur tam infelici totius Orientis incendio, Athenis, quae jam apologetico generi Quadratum et Aristidem (ne dicam Justinum qui multum ibi vixisse videtur) dederant, philosophus quidam, ad christianismum conversus, nomine *Athenagoras*, res tam atroces ratus non auctore Marco Aurelio

1. Apud Eusebium, Hist. Eccl., IV, 26, 5.
2. Hoc infra V° et VI° capitibus fusius explicabitur.
3. Vix Apologiam suam confecerat Noster cum praeterea Lugdunensis ecclesia sanguinis baptismate uncta est. — De hoc tempore vide Renan, t. VII, p. 278-280. Arbitratur hic eruditissimus vir Christi religionem in Asia, jam medio II° seculo paene dimidium incolarum conciliavisse (VI, 432).

patrari posse, qui communi philosophiae humanitatisque fama frueretur, quin immo inscio eo fieri, ad imperatorem a provinciarum delatoribus et magistratibus provocare instituit et, ad vulgi calumnias confutandas, quantum fides nova veteri Graecorum philosophiae congrueret, in plenam lucem proferre.

CAPUT II

De Athenagorae Vita.

De Athenagorae vita non uberrima quidem est dicendi seges, ut jam anno 1742 aiebat arguta elegantia Maranus, doctissimus Ordinis Sancti Benedicti monachus[1] : revera seges est uberrima, non profecto exponendi, sed potius disputandi. Vel num ipse fuerit, paene potuit dubitari; namque eum veteres Ecclesiae rerum scriptores omnino praetermittunt : quippe Eusebius et Hieronymus necnon Suidas Athenagorae vitam et scripta ne novisse quidem videntur, quanquam horum primus ceteros apologetas secundi seculi a Quadrato diligentissime persecutus est.

I

Attamen Sanctus *Methodius*, quem Olympi in Lycia[2] episcopum fuisse et anno 310 vel 311 martyrium passum esse

1. Migne, *Patrologiae Graecae* tomo VI, p. 182.

2. Hæc urbs, quae in multis Minoris Asiae tabulis deest, portus est in orientali littoris parte situs. Vide a *Kiepert* constructam tabulam.

verisimile est, maximus christianorum aetatis suae scriptorum merito appellatus[1], Athenagoram sub ipsius nomine citavit in tractatu Περὶ Ἀναστάσεως, quem contra Origenis de hac materie doctrinam composuit. Qui liber, a Sancto Hieronymo « egregium opus » habitus, non integer, infelici casu, Græce saltem, ad nos pervenit : sed ejus reliquiae, a nonnullis veteribus et Graecis scriptoribus servatae, magnum nuper incrementum ceperunt, postquam cardinalis *Pitra* anno 1883 doctorum virorum oculos in palaeoslavicos Methodii codices (vulgo *slavons* vel *vieux-bulgares*) convertit[2], et Germaniae eruditus quidam, *Bonwetsch* Methodii totius illius libelli cum ceteris scriptis Germanicam translationem e vetere Bulgarorum sermone anno 1891 edidit[3]. Itaque nunc triplici via, uno tamen tenore paucissimis mutatis verbis, ad nos usque allatus est ille Methodii locus, ubi Athenagorae citatio legitur, per palaeoslavicum scilicet codicem[4] et per duos Graecos et christianos scriptores, Sanctum Epiphanium qui IV° quoque seculo floruit et Photium, virum illum omnium IX° seculo eruditissimum. Uterque enim testatur Methodium in libro, cui Περὶ Ἀναστάσεως inscribitur titulus, usum esse Athenagorae non Περὶ Ἀναστάσεως libello, quod propter tituli materiaeque similitudinem ultro credideris, sed Pro Christianis Apologia[5].

Namque hujus usurpavit Methodius caput 24, quo apologeta noster seu bonorum seu pravorum angelorum naturam explicare tentaverat, idque Asiaticus episcopus ad describendum daemonem tali modo adduxit : Τί οὖν ὁ διάβολος λέγεται; « πνεῦμα

1. Bardenhewer, *Patrologie*, p. 170 sqq.; Batiffol, *La Littérature grecque*, p. 140-142.

2. *Analecta Sacra*, t. III, p. 603-627, Venetiis, 1883; t. IV, p. 201-209, Lutetiae, 1883.

3. *Methodius von Olympus*, Erlangen et Leipzig. — Cf. Dr Albert Ehrhard, *Die altchristliche Literatur und ihre Erforschung seit 1880*, Freiburg im Breisgau, 1894, p. 122.

4. Bonwetsch, t. I, p. I et 129 sqq.

5. Epiphanius, *Haereses*, 64, c. 20, 21. — Photius, *Bibliothec.* 234, p. 293.

περὶ τὴν ὕλην ἔχον », καθάπερ ἐλέχθη καὶ Ἀθηναγόρᾳ, « γενόμενον ὑπὸ τοῦ θεοῦ ». Tum proximos locos ad verbum retulit, ubi Athenagoras ostenderat quatenus Deo contrarius esse possit malignus spiritus et quomodo, ut Deus toti praesidet mundo, sic singulis materiae rebus praepositi sint angeli (p. 31, versus 26-28, ἐπεὶ... συστάσεως, et p. 32, versus 4-11, ἐναντίον... ἄγγελοι, editione *Schwartz*[1]). Denique capitis ea quae sequuntur libere adhibuit Methodius, dum, ab apologeta descriptum, pravorum angelorum lapsum uni tribuit daemoni (p. 32, v. 11-25, ὡς δὲ καὶ... διοίκησιν).

Hoc igitur testimonio patet, ineunte IV° seculo vel etiam exeunte III°, Athenagorae Apologiam in occidentali Asiae Minoris ora a doctis Ecclesiae viris cognitam et aestimatam esse.

II

Uno postea exacto seculo, circa annum 430, presbyter quidam, qui Sancti Joannis Chrysostomi diaconus Constantinopoli fuerat, *Philippus Sidetes* nomine, quod Sidae, in maritima Pamphyliae urbe vivebat, postquam per tres libros responderat Juliani imperatoris operi « Contra Christianos », fusam quamdam Χριστιανικὴν Ἱστορίαν jam edidit, ubi brevem de Athenagora inseruerat notitiam[2]. Infelici autem eadem sorte perculsa ac Methodii tractatus, Philippi Historia periit; hujus tamen paucae quoque reliquiae a nonnullis servatae sunt : sic in quodam

1. Ex hac optima Athenagorae editione, omnium recentissima, cunctas citationes hauriam : *Athenagorae Libellus pro Christianis. Oratio de Resurrectione cadaverum.* Recensuit Eduardus Schwartz. Leipzig. J. C. Hinrichs'sche Buchhandlung, 1891. XXXII et 143 p., 3 M. 60 (Texte und Untersuchungen zur Geschichte der altchristlichen Literatur, von Oscar von Gebhardt und Adolf Harnack, IV. Tom., 2. Vol.). Vide accuratum, at severius judicium quod de illa editione statuit E. Preuschen in *Theologische Litteraturzeitung*, XVII, 1892, p. 543-546.

2. De Philippo Sideta vide Bardenhewer, p. 351, et Batiffol, p. 213-214.

Oxoniae recondito codice, qui e Graecis rerum scriptoribus VII° vel VIII° seculo constitutos eclogarios continet[1], legitur quoddam fragmentum, cujus clancularius quidem est auctor, fortasse Nicephorus Callistus, ut primus ipsius editor, *Dodwell* anno 1689 conjecit[2] : hic occurrit ille Sidetae ad Athenagoram pertinens locus :

« Καί φησι Φίλιππος ὁ Σιδήτης ἐν λόγῳ κδ'· « Τοῦ διδασκαλείου τοῦ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἀθηναγόρας πρῶτος ἡγήσατο, κατὰ τοὺς χρόνους ἀκμάσας Ἀδριανοῦ καὶ Ἀντωνίνου, οἷς καὶ τὸν ὑπὲρ Χριστιανῶν πρεσβευτικὸν προσεφώνησεν· ἀνὴρ ἐν αὐτῷ χριστιανίσας τῷ τρίβωνι καὶ τῆς Ἀκαδημαϊκῆς σχολῆς προϊστάμενος. Οὗτος πρὸ τοῦ Κέλσου κατὰ Χριστιανῶν γράψαι προθυμηθείς, ἐντυχὼν ταῖς θείαις Γραφαῖς εἰς τὸ ἀκριβέστερον ἀγωνίσασθαι, οὕτως εἵλετο τῷ παναγίῳ Πνεύματι, ὥστε διδάσκαλον, κατὰ τὸν μέγαν Παῦλον, ἀντὶ διώκτου γενέσθαι τῆς πίστεως ἧς ἐδίωκεν. » Τούτου μαθητὴν γενέσθαι φησὶν ὁ Φίλιππος τὸν στρωματέα [id est Στρωμάτων scriptorem] Κλήμεντα καὶ Πάνταινον τοῦ Κλήμεντος[3]. »

Haec est una, quam accepimus, Athenagorae vitae descriptio : brevis quidem et rebus plena, at non erroribus vacua.

Ceterum Sidetae Christianam Historiam Socrates, aequissimus ille Ecclesiae rerum scriptor, qui et ineunte V° seculo viguit, cum ejus auctorem animadvertisset in computandis temporibus graviter erravisse, inutilem doctis pariter et indoctis hominibus judicavit[4] : quod postea ratum habuit Photius, qui idem opus et ipse noverat idque male dispositum et in temporum notatione minime fidum habebat[5]; ita ut de tempore

1. Cod. Baroccianus 142, fol. 216.
2. *Diss. in. Irenaeum*, Append. p. 488 sqq. Cf. supra nostrum Indicem I, A, *1689*.
3. Hunc textum a Marano relatum legere queas apud Migne, *Patr. Gr.* t. VI, p. 182.
4. Lib. VII, cap. 27 (at non lib. XVII, sicut indicat Maranus, apud *Migne*, p. 182, D).
5. *Bibl.*, Cod. 35.

praesertim Philippum peccare solitum esse liqueat. Hujus enim, in loco supra prolato, de Alexandrina schola testimonia erroribus abundare constat, quanquam, ut observat *Dodwell*, Rhodonis illius discipulus Philippus ipse fuit, qui Alexandrinae scholae post Didymum praefuit eamdemque in Sidam urbem transtulit, ubi Rhodonem a se auditum esse narrat Philippus, teste saltem ipso ejusdem excerpti auctore [1]. « Scholae » igitur « Alexandrinae Athenagoram primum praefuisse » nullo modo compertum, cum uno ante Philippum seculo Eusebius, qui se accuratius eidem temporum materiae accinxerat, pluresque, ut Maranus animadvertit, viderat eruditos viros aut ei praefectos aut in ea institutos, penitus de Nostro taceat.

Profecto aberrat etiam a vero Philippus cum christianos Alexandriae magistros hoc ordine ponit, Athenagoram, Clementem, Pantaenum : quippe Clemens ipse, auctoribus Eusebio ac deinde Photio, se Pantaeno non discipulo, sed magistro usum esse confitetur [2]. Re ipsa, in vicem sibi succedentes istius disciplinae doctores fuerunt igitur primum Athenagoras, si modo hujus fuit, tum Pantaenus, denique Clemens : an autem ille non Clementis quidem, sed Pantaeni magister fuerit, prorsus incertum est; at, quanquam silet Eusebius, fieri potest. Testatur porro hic sedulus rerum scriptor quamdam sacrarum litterarum scholam, jam inde a priscis temporibus diuque ante Pantaenum in urbe Alexandria institutam esse [3]; quamobrem Athenagoram utique primum hujus rectorem exstitisse, difficillimum est admittere.

Quae de Nostri aetate addit Philippus, non minoribus infecta esse erroribus videntur. Nam illum « Hadriani Antoninique temporibus floruisse » asseverat, inter annos scilicet 117

1. Cf. Maranum, p. 182-183.
2. De hac materie lege disertam disputationem apud Maranum, p. 183. C et D.
3. *Hist. Eccl.*, lib. V, c. 10.

et 161 : Athenagoras vero anno 177, ut infra subjiciam, Apologiam suam ac paulo post alterum opus composuit, unde valde dubitandum num idem, imperante Antonino qui anno 161 obiit, ac praesertim, imperante Hadriano qui 138 anno vita functus est, non dico vixerit, sed viguerit. Quidquid id est, omnino negandum ambobus his imperatoribus Athenagoram « suam pro Christianis Supplicationem pronuntiavisse », quippe quae veterrimis codicibus Marco Aurelio et Lucio Aurelio Commodo dedicata nobis pervenerit.

Jure igitur ac merito Socrates Photiusque monebant ne Philippo Sidetae de notandis temporibus fides adhiberetur. De ceteris tamen rebus ejusdem testimonia non ideo forsan mendacia existimanda sunt [1]; sub his enim verbis « τὸν ὑπὲρ Χριστιανῶν πρεσβευτικόν » Apologiam designat ac de scriptore superaddit : « ἀνὴρ ἐν αὐτῷ χριστιανίσας τῷ τρίβωνι », quod eximio modo congruit cum operis titulo ab antiquissimis codicibus tradito : « ΑΘΗΝΑΓΟΡΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΧΡΙΣΤΙΑΝΟΥ ΠΡΕΣΒΕΙΑ ΠΕΡΙ ΧΡΙΣΤΙΑΝΩΝ [2]. » Nonne enim insignis est inter voces πρεσβευτικόν et πρεσβεία similitudo, eo magis quod tali nomine una e cunctis christiana haec Apologia, quod sciam equidem, vocata est? Ex altera parte, tituli duo verba « φιλοσόφου χριστιανοῦ » paulum explicat Philippus pluribus hisce verbis « ἀνὴρ ἐν αὐτῷ χριστιανίσας τῷ τρίβωνι », sive translato verbo ornandae orationis causa usus est, sive per semetipsum revera cognovit Athenagoram, vel ad christianam conversum religionem, Justini exemplo [3], pallium illud retinuisse quo gentiles indui solebant philosophi, ut reverentiam cuilibet habitu

1. Ceterum sic sentit Maranus (p. 183-184), qui probanda modestia animadvertit : « ... Haec certiora essent, si Philippus majorem in historia scribenda fidem ac diligentiam declarasset ».

2. Prae ceteris codex quidam ponendus, qui anno 914 exaratus est; de quo paulo infra.

3. Vide supra caput I[um] : « ἐν φιλοσόφου σχήματι ».

ipso injicerent, idque nonnullis post annis, Carthagine, Tertullianus etiam adsciscere coepit[1] : neque hoc conjicere absurdum, tantus tamque verus philosophiae amor in tota Nostri Apologia elucet. — Ἀθηναῖος sane a Philippo non directo vocatus est Athenagoras, sed, ut jure observat doctissimus vir *Harnack*[2], in proxime sequenti notitia dictus est Pantaenus « καὶ αὐτὸς Ἀθηναῖος », quod perspicue probare videtur a Philippo, etsi de prioris origine taceat, eum jam Atheniensem esse habitum. Namque Athenis ut natus sit et vixerit Athenagoras ille, cujus nomen multum Athenas redolet, optime fieri potest. Alexandriae quoque diu mansisse videtur atque ibi Aegyptiorum mores et ritus diligenter observavisse, quippe quos tam saepe in Apologia sua allegaverit : forsan hoc modo explanari potuerit dubia illa Philippi affirmatio Nostrum Alexandrinae scholae magistrum quemdam fuisse.

Circa igitur annum 430, ante Philippi Sidetae oculos veterrimum Athenagorae codicem esse obversatum illumque titulo, quo in charta inscripta erat Apologia, usum esse ad suam scribendam notitiam, proxime fidem est[3].

Deinde, quod asseverat Philippus « Athenagoram Academicae scholae praefectum esse, τῆς Ἀκαδημαϊκῆς σχολῆς προϊστάμενος », jure admittas : haec enim Academica schola nullam aliam designare potest ac Platonicam[4], nomine a vetere Academia aperte resumpto, quam Platonem ipsum condidisse omnibus exploratum est. Platonis autem doctrina plenissimam esse Apologiam ibique Athenagoram hujus se discipulum nonnunquam professum esse, infra ostendemus.

Denique, quae testatur Philippus de subita improvisaque

1. *De Pallio*. Cf. Boissier, *La Fin du Paganisme*, t. I, p. 280-289.
2. *Geschichte* (vide *Indicem*, II. supra), Ia Pars, p. 258.
3. Harnack, *Ueberlieferung* (vide *Indicem*, II), p. 179, n. 184.
4. Cf. Hertzberg, in Gallica versione Bouché-Leclercq, *Histoire de la Grèce sous la domination des Romains*, t. III, p. 80 et 87.

Athenagorae ad fidem conversione, qui, in sacris Scripturis tela quaerendo contra Christianos, christianus factus esset, revera contigisse potuerunt. Immo hoc aliquatenus confirmari videtur nova illa via quam tenuit apologeta noster; quemadmodum enim prius sacros Christianorum libros accurate versaverit, ut Christianos redargueret, sic deinde, fidem jam complexus, permulta ex ethnicis scriptoribus hausit et citavit, quae adversus ethnicos ipsos converteret homines. Ut autem aptius certaret, « εἰς τὸ ἀκριβέστερον ἀγωνίσασθαι », sicut ait Philippus Sidetes, divinis scriptis incumbere coeperat, hostili scilicet impulsus mente : quae potissimum cura in toto nunc defensoris opere eminet, adeo ut haec eadem modo vox ἀκριβής rursus apud scriptorem haud semel occurrerit, sic capite 11°, « ἀκριβῶς διέξειμι τὸν καθ' ἡμᾶς λόγον,... ἀκριβολογοῦμαι », et capite 17°, « ἀνάγκη ἀπολογούμενον ἀκριβεστέρους παρέχειν τοὺς λογισμούς... », et capite 23°, « ἐπ' ἀκριβὲς ἐξητάκαμεν[1] », et ceteris[2]. Religio permutata, eversum consilium, at idem ingenium, apta eadem cum aggrediendi tum defendendi ratio.

Postremo, in illa quam Athenagorae Philippus Sidetes tribuit notitia, ea quae ad tempus spectant falsa vel dubia, reliqua autem vera aut prorsus verisimilia esse merito concludere queas.

Duo igitur de Athenagora a nobis jam perpensa testimonia argumento sunt hujus Supplicationem circa annos 300 ac 430, doctis quibusdam Minoris Asiae presbyteris, in duobus litoris illius, quod Aegeo mari alluitur, oppidulis, Olympi scilicet atque Sidae, sine ullo dubio esse cognitam[3].

1. Ed. Schwartz, p. 11, v. 27, et p. 12, v. 2; p. 18, v. 7 et 8; p. 29, v. 12.

2. Sic cap. 6, v. 22-24 : « οὐχ ὡς ἐπιδεικνύων τὰ δόγματα τῶν φιλοσόφων ἐπ' ἀκριβὲς, οὕτως ἃ εἰρήκασι περὶ θεοῦ διέξειμι... ». Cap. 20, ethnicos theologos his verbis perstringit : « τὰ πραχθέντα τοῖς θεοῖς ἐπ' ἀκριβὲς ὡς οἴονται διεξεληλύθασιν » (p. 22, v. 23).

3. Praeterea, Athenagorae Supplicatione Minucium Felicem usum esse multi credunt (cf., exeunte hoc libro, nostram Conclusionem et notas), sed cum eam sententiam alii non recipiant, hoc testimonio niti nolumus.

Attamen, ut ejusdem fama ubique pariter invaluerit, multum abfuit, in illaque ipsa Minore Asia Eusebius, Caesareae in Palaestina episcopus, ineunte IV° seculo, quamvis plenam suam Ecclesiae Historiam perscripserit, visus est omnino non audiisse Athenagoram unquam exstitisse, atque, exeunte eodem seculo, Sancto Hieronymo, qui tam diu in Asia vixit ibique historica quaedam et praestantia composuit opera [1], ne unum quidem nostri apologetae vestigium occurrisse credas, neque de hoc melius ullum istorum successorem esse edoctum. Quomodo autem Athenagoras egregios illos rerum scriptores, a quibus magna christianae historiae defluit traditio, fugere potuerit? Difficillima sane quaestio, saepissime, ex nonnullis maxime annis, indagata, nondum tamen explicata.

Nempe illius Apologia, Graeca philosophia, ut infra monstrabitur, plenior quam ceterae, fidelibus viris, pietatis potissimum avidis parum placuit [2], et, quae minus ad fidem ulciscendam quam ad convertendos paganos spectaret, inter Platonis philosophiam et Christi doctrinam communes aperiendo partes, paulatim ab ipsis Ecclesiae doctoribus omitti potuit, postquam Graecam philosophiam christiana religio devicerat gentiliumque hominum multum decreverat numerus. Attamen Minucii Felicis qui *Octavius* inscriptus est dialogus, etsi plurima ipse, at paulo minus subtili philosophia est imbutus, a christianarum rerum scriptoribus commemoratus est cunctis.

Eduardus autem *Schwartz* in suae Athenagorae editionis praefatione, quam anno 1891 protulit, non mirandum putat nostri suique apologetae « doctrinam et elegantiam a Christianis tam parvi aestimatam esse » : quippe rebus iis Supplicationem carere quae in ceteris Apologiis apud doctos aut fideles viros

1. Sic *De Viris illustribus* scriptum Bethleem anno 392 compositum est (*Bardenhewer*, p. 435).
2. Haud secus sentit *Krüger* (V. supra nostrum Indicem, II), p. 82.

plurimum valerent, « chronologia » scilicet et « narrationibus de confessorum constantia », cum Caesarum ne decreta quidem memoriae traderet[1].

Nihilominus animadvertendum eamdem fere, immo pejorem sortem anonymi viri ad Diognetum Epistulae Hermiaeque operi accidisse, quae, quanquam admodum aliis rebus atque Athenagorae Apologia sunt repleta, a veteribus Ecclesiae scriptoribus penitus praetermissa sunt[2]. Ergo oportet demisse profiteamur saepius per caecam fortunam stetisse quominus servata vel amissa sint antiquorum auctorum opera, mirique de Athenagora silentii apud antiquos Ecclesiae rerum scriptores ignotas quasdam esse causas, quae post tot exacta secula posteros fortasse semper fallent[3].

III

Restat quidem ut Athenagorae opera ipsa, qualia antiquissimi reddunt codices, sedulo interrogemus, si quid nos de hujus vita atque aetate certiores faciant.

Tam frequenter Athenagorae opera cum Justini operibus conjuncta in manuscriptis codicibus atque inde in editionibus apparuerunt ut nostro tempore incidere potuerit suspicio Supplicationem a christiana antiquitate pro aliqua Justini Apologia

1. P. III. Ibidem animadvertit « ne ceteris quidem apologetis Ecclesiam multum favisse ».

2. V. Renan, t. VII, p. 424, n. 2.

3. Haud immerito quidem conjicit Renan (t. VII) post Nicaeense concilium, ubi multis in rebus constituta erat theologia, apologetas illos, qui antea hanc theologiam non semper sine ullo errore explicare tentaverant, in aliquam suspicionem venisse. — Eruditissimus autem presbyter Duchesne sentit Athenagorae Apologiam, cui defuisset ullum scriptoris nomen, Justino attributam esse jam ante Eusebium, qui ob hanc causam et omnino de Nostro tacuerit et quamdam Justini Apologiam Marco Aurelio missam injuria commemoraverit (*Bulletin Critique*, t. III, 1882, p. 187).

habitam esse [1]. At eruditos saltem quosdam viros utriusque scripta dijudicavisse videas : nam plurimos Athenagorae codices doctissimi Germaniae viri, qui ab his sedecim annis in illis elaboravere, Adolphus scilicet *Harnack*, Oscar *von Gebhardt* Eduardusque *Schwartz* [2] reducendos omnes perspexerunt ad antiquiorem codicem quemdam, qui nunc Parisiis, in Publica Bibliotheca conditus, numero *451 Graecus* signatur [3]. Qui, anno post Christum natum 914, a notario *Baane* exaratus est, Caesariensis archiepiscopi *Arethae* jussu, qui, christianos secundi tertiique seculi apologetas colligere aggressus, Athenagoram, inter duo apologetica Eusebii scripta insertum, in hoc praestantissimum corpus recepit [4]. Atque ambo Nostri opera certe ex archetypo codice quodam pendere recens conjectum est, qui non post VII^{um} seculum conscriptus esset [5].

Porro in Parisino codice Athenagorae Apologiae subscriptionem, « ἀθηναγόρου » scilicet « πρεσβεῖα » (*sic*) Arethas ipse (non Baanes) sua manu notavit, quod, jam ab Eduardo *Schwartz* anno 1891 indicatum [6], nuperrime (1896) post novam codicis recensionem a doctore *Stählin* confirmatum est [7]. Comperit idem De Resurrectione libelli initio a Baane haec « περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν » inscripta esse, prae quibus addidit

1. Haec fuit celeberrimi *Harnack* sententia (*Ueberlieferung*, p. 175-189, 1882). Sed ab ea sensim recessisse videtur, cf. *Geschichte*, I^{a} pars, p. 257, 1893, et II^{a} pars, p. 317, n. 4. 1897. — Cf. supra n. 3 de presbytero Duchesne.

2. V. Indicem, I.

3. Ejus descriptionem legas apud Otto, ed. Athenagorae, p. xiii, 1857; Harnack, *Ueberlieferung*, p. 175 sqq., 1882; — Oscar von Gebhardt, ejusdem collectionis t. I, vol. 3, *Der Arethascodex, Paris. Gr. 451*, 1883; — Schwartz, ed. Athenagorae, p. iii sqq., 1891; — Harnack, *Geschichte...*, I^{a} pars, p. 257, 1893, et II^{a} pars, p. 317, n. 4, 1897.

4. Uterque Athenagorae liber, qui inter Eusebii *Praeparationem* et ejusdem *Adversus Hieraclem* versatur, f. 322^{b}-367^{b} occupat.

5. Harnack, *Geschichte*, I^{a} pars, p. 257. — Cf. Schwartz, op. cit., p. iv.

6. P. 47. Hic typographi lapsu « ΠΠΕΣΒΕΙΑ » vox scripta est, vide *Corrigenda*, p. xxx.

7. Harnack, *Geschichte*, II^{a} pars, p. 317, n. 4. Equidem hujus tituli aliorumque textum diligentius retuli, qualem ex ipso codice vice mea recognoveram : sic animadverti Aretham errore « πρεσβεῖα » post finem Apologiae pro « πρεσ-

voces « τοῦ αὐτοῦ » ipse Arethas, denique ad calcem etiam subscripsit : « ἀθηναγόρου περὶ ἀναστάσεως[1] ».

Supplicationis quidem fronti latior haeret titulus, qui in Parisino 451, recentioris est aetatis, fortasse, ut suspicatur Otto[2], XI[i] seculi : « Ἀθηναγόρου ἀθηναίου φιλοσόφου χριστιανοῦ πρεσβεία περὶ χριστιανῶν[3] ». Qui idem titulus in duobus praecipuis aliis Apologiae legitur codicibus, Mutinensi scilicet III D 7 et Parisino 174, quorum alter videlicet XI° seculo, XII° alter adjudicari potest[4].

Ex his apparet prius illius Caesareae Palaestinae urbis, in qua, ineunte IV° seculo, Ecclesiae historiam scribens Eusebius Athenagoram silentio praeterierat, archiepiscopum Aretham, sex postea seculis, apologetae nostri opera cognita aestimataque collegisse, et inter notationes a suamet ipsius manu profectas Apologiae subscripsisse : « ἀθηναγόρου πρεσβεία ». Hanc autem appellationem excellenter congruere jam vidimus cum titulo illo quo Philippus Sidetes circa annum 430 ad designandam Athenagorae Supplicationem usus erat : « τὸν ὑπὲρ Χριστιανῶν πρεσβευτικόν[5] ».

Hoc igitur singulare nomen πρεσβεία dignissimum quod attendatur, cum pleraque illius generis opera, qualia Justini, tantum *apologiae*, Graece ἀπολογίαι dicantur. Quamobrem,

βεία » scripsisse, quasi hanc esse vocem πρεσβεῖον (quae mercedem significat) pluraliter adhibitam credidisset.

1. Cf. Schwartz, p. 79.
2. P. xiii.
3. Schwartz, p. 1.
4. Mutinensem codicem, ab *Harnack* XI° seculo attributum (*Geschichte*, I[a] pars, p. 257) Otto X° retulerat (p. xix). Idem Parisinum 174 « seculo decimo vel saltem undecimo adjudicandum » putarat, p. xiv.

Hi duo codices ex *Harnack* (ibid.) a Parisino 451 pendent, sic Parisinus 450, anno 1364 exaratus, qui De Resurrectione libellum modo continet. — A Mutinensi autem pendent Argentoratensis 9, anno 1870 incendio consumptus, — Ottoboniani 94 et 274, Vaticanus 1261, lectiones *Marani* Bigotianae et Sirletianus. — Parisinus 174 genuit Mutinensen alterum III D 20, Neapolitanum II. Aa. 13, Angelicum B. 1. 10, Bodleianos Miscellaneum 212 Baroccianosque 98 et 145, Etonensem ; etc.

5. Cf. *Otto*, p. lxiv, n. *.

quoniam vulgatus πρεσβεία vocabuli sensus est *legatio*, arbitrati sunt haud pauci Athenagoram, cum vexarentur in Oriente Christiani, utpote philosophum unumque e Christianorum doctissimis, a fratribus suis esse delectum, qui ab imperatore clementiam, aut potius justitiam impetraret. Immo, animadversum est Marcum Aurelium, quo ipso anno Athenagorae Apologia certe, ut jamjam dicturus sum, composita est, iter facientem per Orientem, Alexandriam et Athenas, ubi novos philosophiae magistros instituit, pervasisse, itaque fieri potuisse ut in harum urbium alterutra Noster tanquam *legatus* orationem suam praesenti imperatori aut obtulerit aut recitaverit[1].

Talis autem conjectura parum verisimilis : primum quod *legatio* non est *legati oratio*, nec πρεσβεία idem valet ac πρεσβευτοῦ λόγος, quam ob causam prorsus mirum sit huic defensioni inscriptum esse titulum, qui opus ipsum non deceret, sed proprium tantummodo tempus significaret quo sit prolatum. Praeterea Marcum Aurelium imperatorem, qui Athenis adeo se Eleusiniis initiari jusserit mysteriis, christianum virum sivisse apud se de Christianorum statu queri, difficillime admittatur, neque hujus ullum aliud allegaveris exemplum. Denique Apologiam ipsam perlegenti fere nihil oratorium occurrit (ut mox accuratius per singula recognoscemus), quod profecto non esset si palam fuisset dicenda. — At pari nomine hoc significari scriptorem opus suum coram principe nec dixisse nec legisse, sed solum studuisse ut ante ejus oculos proponeretur si quis contendat, respondebo tale omnes Apologiarum scriptores et optavisse et operam dedisse ut ita fieret, neque tamen ideo ejusmodi titulum usurpavisse.

Illam vero vocem potius in alterum illum sensum acci-

1. V. OTTO, p. LXIII et LXIV. — Sic sentiunt DODWELL, CEILLIER, *Histoire générale des Auteurs sacrés*, t. II. p. 113, d, etc. Cui opinioni obstant BAYLE (*Dictionnaire*). LE NOURRY. *Apparatus ad Bibliothecam Maximam veterum Patrum*, p. 479-480 : etc.

piendam arbitror, quem jam Budaeus Henricusque Stephanus notaverunt : scilicet hoc tempore apud ecclesiasticos scriptores et paulo post apud Gregorium Nazianzenum ea vox idem atque *intercessio* vel *deprecatio* valere solet[1], ita ut simpliciter Athenagorae Apologia « *De Christianis Deprecatio* » inscripta sit. Itaque inter varias tituli Latine factas, quae usu vigent, translationes justior ac sedulior mihi videtur SUPPLICATIO ab *Otto* adhibita vel etiam LIBELLUS a *Schwartz* admissus quam LEGATIO a Gesnero recepta[2].

Porro reliquum Supplicationis titulum, « ἀθηναίου » scilicet « φιλοσόφου χριστιανοῦ » (ut omittam duas supremas voces « περὶ χριστιανῶν », quae parvi sunt momenti), in diversis, quos nunc habemus codicibus, non ante XIum seculum, ex his quae diximus, conscriptum esse constat : his autem verbis quae addita sunt, Philippi Sidetae notitiam tanquam breviter esse contractam animadvertendum est; itaque, etsi inter notitiae conscriptionem et tituli longioris additionem sex intercesserunt secula, tamen adeo inter se quadrant, uno nimirum antiquo fonte defluxa, ut mutuam auctoritatem alter alteri conferant. — Denique Athenagorae originem expressius etiam codicibus, quibus « ἀθηναῖος » appellatur, quam a Philippo designari animadvertendum est[3].

*
* *

Jam, quae sequitur titulum, et in Arethae codice ipsa Baanis manu conscripta est [4], Supplicationis dedicatio nos

1. *Henrici Stephani Thesaurus*, ed. Hase, 1842-1847, diss. Πρεσβεία. — Haec est docti *Otto* sententia, p. LXIV.
2. Ut patet apud MIGNE, *Patr. Gr.*, t. VI, p. 889.
3. Hac nimirum aetate, XI° scilicet seculo, Eusebii scholiastes quidam (in Praepar., 1, 3) sic priores christianos enumerabat apologetas : « Ἰουστῖνος ὁ θεῖος Ἀθηναγόρας Τατιανὸς Κλημεις [sic] ὁ Στρωματεὺς Ὠριγένης καὶ αὐτὸς ἔτι Πάμφιλος ὁ τοῦ παρόντος Εὐσεβίου πατήρ » (HARNACK, *Ueberlieferung*, p. 177).
4. SCHWARTZ, p. 1.

verum docebit annum, quo composita est Apologia, praesertim si quam lucem a nonnullis ipsius operis locis insuper quaeramus.

Praeclara illa nuncupatio in hoc veterrimo codice ita se habet :

« Αὐτοκράτορσιν Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Ἀντωνίνῳ καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομόδῳ ἀρμενιακοῖς σαρματικοῖς, τὸ δὲ μέγιστον φιλοσόφοις. »

Voces quidem « Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Ἀντωνίνῳ » Marcum Aurelium Antoninum clarissimum philosophum illum, qui summi imperii fuit compos inter annos 165 et 180, certo modo designant. Nomina autem « Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομόδῳ », utrum Lucium Aelium Aurelium Verum indicent, qui Marci Aurelii ex adoptione frater ac deinde gener fuit cumque ipso imperator, donec mortuus est anno 169, an Lucium Aelium Aurelium Commodum, Marci Aurelii filium, qui patris primum in summo imperio socius, deinde successor fuit, a sexto decimo seculo ita quaesitum est, ut in duas partes pari prope numero discesserint eruditi[1].

Ili, qui a Commodo, Marci Aurelii filio stant, Lucium Verum *Commodi* nomen, ubi imperator cum fratre factus est, deposuisse declarant neque unquam Sarmatico titulo esse ornatum, quippe cujus post mortem Sarmaticum bellum gestum fuerit. Praeterea novum ducunt argumentum ab Apologiae capite 18°, quo ambos imperatores « πατρὶ καὶ υἱῷ » appellatos alloquitur scriptor[2].

1. Ex altera parte Josephus Scaliger, Dodwell, Cas. Oudin, Dan. van Hoven, etc. ; ex altera Suffridus Petrus, Baronius, Tillemont, Ceillier, Mommsen, etc. V. Otto, p. lxvi, n. * et **.

2. Editio Schwartz, p. 20, v. 7 et 8. Objecit adversarius quidam υἱῷ optime de Vero, Marci *genero* dici potuisse. Cui legas responsum ab *Otto* datum nec sane validissimum, p. lxxiii. — Ultimis quoque Apologiae verbis, c. 37, Athenagoras vota principibus affert « ἵνα παῖς παρὰ πατρὸς κατὰ τὸ δικαιότατον διαδέχησθε τὴν βασιλείαν... », sed haec verba non ad Marcum et Commodum, sed in universum ad Antoninae familiae successionem spectare videntur. Sic ipse quoque sentit Otto (p. lxxi et lxxii).

Sed respondent Lucii Veri fautores huic bene convenire *Armeniacum* titulum, Commodo minime : eum enim Verus anno 163 suscepit, Marcus Aurelius 164, sed deposuit post fratris mortem anno 169, quo tempore Germanicum nomen adscivit sibi Commodoque filio communicavit, qui ceterum quavis aetate nomine abstinuit Armeniaco[1]. Hoc quidem cum sit unum grave horum pro Lucio Vero argumentum, illos potius, qui, praeeunte *Tillemont*, tribus huic aequis nituntur argumentis, veritatem potius perspexisse profitendum est.

Itaque ἀρμενιακοῖς facile mutandum putavit doctissimus Theodorus *Mommsen*, praesertim cum verbum ipsum in Arethae codice haud clare scriptum appareat : prima enim manus, Baanis scilicet, nihil nisi « αρμε///ιακοισ » expresserat, ubi littera ν (non κ, ut immerito ait *Schwartz*) erasa esse videtur : quod correxit hoc modo Arethas « ἀρμενιακοῖσ » (non ἁρμενιακοῖσ, quod novo errore *Schwartz* scripsit). Quare censuit insignis Germaniae litterator *Mommsen* pro voce ἀρμενιακοῖς scribam γερμανικοῖς vocem aut scripsisse aut scribere voluisse[2]; sic titulus uterque « γερμανικοῖς σαρματικοῖς », qui optime cum patri tum filio convenit, in Supplicationis dedicatione memoratus est haud secus ac tunc saepissime celebrabatur atque etiamnum in ejusdem Commodi epitaphio legitur :

« Imperatori Caesari Divi Marci Antonini Pii *Germanici Sarmatici* Filio... L. Aelio Aurelio Commodo Augusto *Sarmatico Germanico* Maximo Britannico[3] ».

Sic ergo emendata Apologiae nuncupatione, nihil jam repugnat quominus suus operi illi annus certo possit assignari.

1. Otto, p. lxviii.
2. Baur et Zeller, *Theolog. Jahrbücher*, t. XIV (Tüb. 1855), p. 250, ap. Otto, p. lxvi, n. ** et lxix, n. *. — Vide Schwartz, p. 1, ac potius ipsum codicem.
3. Orelli, n. 887, ap. Mommsen, *Theolog. Jahrbücher*, loc. cit. (Otto, p. lxix, n. *).

Primum quidem non potuit scribi ante annum 176, quo, devictis Quadis, Marcomannis et ceteris gentibus quae vulgo sub Sarmatarum nomine comprehendi solebant, Marcus Aurelius, testante rerum scriptore Julio Capitolino, « cum Commodo triumphavit »[1], amboque se Sarmaticos appellari jusserunt; eque altera parte postremus compositionis terminus est annus 180, quo obiit Aurelius. Principes autem biennio solum duplicem hunc titulum *Germanici Sarmatici* in nummis saltem retinuisse animadvertendum[2], quo probabile fit inter annos 176 et 178 natam esse Apologiam.

Hoc probabilius etiam reddit pacis universae celebratio, quae in capite primo legitur : « ἡ σύμπασα οἰκουμένη τῇ ὑμετέρᾳ συνέσει βαθείας εἰρήνης ἀπολαύουσιν[3] ». Universa autem pace, quae perraro, imperante Marco Aurelio, floruit, nunquam magis fruitum est Romanum imperium quam post Sarmatas, exeunte anno 176, ut supra notavimus, profligatos et ante rebellantes medio 178 anno Germanos.

Immo vero, intra angustiores etiam fines Supplicationis tempus (tam mire inter se quadrant documenta) nobis ponere licet. Nam pater et filius in inscriptione ambo αὐτοκράτορες, id est imperatores vocantur : Aelius porro Lampridius in Augusta Historia refert : « Commodus cum patre imperator est appellatus V. Kal. Decembr. die, Pollione et Apro coss. »[4], hoc est 27ª die Novembris anni post Christum natum 176.

Ex altera parte, Apologiae suae capite 35° Athenagoras, humanae carnis epularum crimen, vulgo ab Ethnicis « Θυέστεια δεῖπνα » vocatarum refellendo, declaravit a Christianorum servis, quos nihil domi fugere posset, nunquam heros suos tam nefarii sceleris accusatos esse : « Τούτων οὐδεὶς καθ' ἡμῶν τὰ

1. *Vita Commodi*, c. 17.
2. Eckhel, ap. Otto, p. LXX.
3. Schwartz, p. 2, v. 6 et 7.
4. *Commodus Antoninus*, cap. II.

τηλικαῦτα οὐδὲ κατεψεύσατο [1] ». Tale autem argumentum proferre nullo modo potuisset Athenagoras nisi etiamnum nescivisset quod hoc temporis puncto Lugduni accidebat, ab ipsis Lugdunensi et Viennensi ecclesiis in celebri ad Orientis fratres Epistula declaratum : « Ἐθνικοί τινες οἰκέται τῶν ἡμετέρων,... φοβηθέντες τὰς βασάνους..., κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα [2]... ». Cum igitur in Gallia anni 177 ineunte Augusti mense in Christianos sit saevitum [3], vel si unum mensem annumerare velis donec tantae rei fama a Gallia in Graeciam permearet, liquet ab Athenagora Apologiam inter menses decembrem anni 176 et septembrem anni 177, esse perfectam : brevissimum profecto temporis spatium, ad quale seu ethnicae seu christianae antiquitatis haud multa opera reduci possunt [4].

*
* *

In duobus quidem Athenagorae operibus aliquid aliud certum de hujus vita investiganti pauca occurrunt, eum scilicet omni philosophorum disciplina tam eximie munitum instructumque esse ut facillime existimetur, quod jam nos monuerat Philippus Sidetes, priusquam christianam amplecteretur fidem, philosophiam potissimum Platonicam revera professus esse, immo docuisse. Quaenam autem per singula illius mentis natura esset, in cetera disputatione monstrare conabor.

Quem doctissimum christianum virum fuisse episcopum vel clericum, nullo sane operum loco probatur : quin etiam, ejus exponendi vel dicendi ratio multo magis philosophum quam clericum redolet, frustraque apud Athenagoram, quae

1. Schwartz, p. 45, v. 13 et 14.
2. Ap. Eusebium, Hist. Eccl., V, c. 1 (ab Otto citatum, p. LXXV).
3. E citata Epistula. Cf. Renan, *Origines chrétiennes*, t. VII, p. 303-304.
4. Doctissimus Renan Athenagorae Apologiam conscriptam esse « circa 178 annum » declarare sat habet (*Origines*, t. VII, p. 381-385; t. VIII, p. 287).

apud Justinum reperiuntur, caerimoniarum illas rituumve descriptiones requiras [1].

Praeterea, ab Athenagora Περὶ Ἀναστάσεως libellum paulo post Supplicationem compositum esse ultro conjicias, quippe qui supremo hujus operis capite a scriptore ipso sic praenuntiatus esset : « Ἀλλ᾽ ἀνακείσθω μὲν ὁ περὶ τῆς ἀναστάσεως λόγος », id est « Sed hac de resurrectione disputatione *supersedeamus* [2] ».

Eruditissimi quidam viri, Baronius et *Tillemont* Athenagoram eumdem esse ac Sanctum Athenogenem martyrem, cujus hymnum laudavit Basilius in libro *De Spiritu Sancto*, c. 29, propter nominum similitudinem contenderunt, sed nullum hujus rei certum attulerunt argumentum [3].

Multo illud probabilius, quod ex recentioribus emanat Germanorum indagationibus, nostrum scilicet Athenagoram Athenagorae illi assimulandum, cui Platonicarum glossarum interpres quidam, Boethus nomine, post Marci Aurelii mortem librum Περὶ τῶν παρὰ Πλάτωνι ἀπορουμένων dedicavit [4] : Athenagoras enim et Boethus facile aequales exstitisse possunt, immo uterque Platonis amator, cujus philosophiae alter, alter elocutioni studebat, ita ut philosopho grammaticum opus suum nuncupavisse plane consentaneum sit. Si ita se res habet, non Athenagoras, ut Justinus, sanctam suam in scribenda Apologia virtutem, Marco saltem Aurelio imperante, morte luit [5].

Commenticiam vero fabulam *Du vray et parfait Amour* in-

1. Athenagoram laicum fuisse sicut plerosque II[i] seculi doctores, ceterum sine ullo argumento, *Renan* asseverat (t. VII, p. 431).

2. Capitis 37 primo versu ed. *Schwartz*, capitis 36 ultimo versu in editionibus *Otto* et *Migne*.

3. Ap. *Maranum* (MIGNE. *Patr. Gr.*, t. VI, p. 184).

4. ZAHN. *Forsch.*, III. p. 60, apud HARNACK, *Geschichte*, I[a] pars, p. 258.

5. Athenagoram quemdam, sub Commodo proconsulem, cujus nomen nobis inscriptione traditum est (*Revue de Philologie*. 1888, p. 327, 2), haud Nostrum esse constat. — Cf. *Fabricium*, qui 16 viros Athenagorae nomine vocatos percenset (supra, *Index*, I, A. *1712*).

scriptam, haud quidem injucundam, quae apud nos anno 1599 sub Athenagorae nomine, tanquam e codice quodam Graeco a Martino *Fumée* versa, edita est, nihil nisi ipsius *Fumée* opus esse, omnibus nunc compertum. Hic notissimam admiserat fraudem, quo plures libro suo lectores conciliaret [1]. Cur autem levis suae fabulae fronti nomen christiani nostri philosophi potius quam quidlibet aptius aliud inscribere illi venerit in mentem, penitus abditae sunt causae.

Denique opportunum advenisse tempus mihi videtur rara quidem illa ac dispersa de Athenagorae vita documenta, quae saltem certa admodumve probabilia haberi possunt, colligendi, haud multo secus atque dux sparsos milites, quos pauciores in latissime patenti regione cum labore conscripsit plurimo, in unum cogit, ut, quibus ad summam praesit copiis, dilucide perspicere queat.

Vergente igitur II° post Christum natum seculo, Marco Aurelio imperante, in Oriente doctissimus floruit philosophus Atheniensis, nomine Athenagoras. Qui, paganae prius addictus philosophiae, Christianosque refellere aggressus, sacras eorum Scripturas pertractavit, quibus adversus ipsos uteretur; tum, subito perculsus lumine, ad novam se convertit religionem, immo docendam ultro et defendendam eamdem suscepit, aliqua cum magistris Alexandriae, ubi aliquandiu certo vixit, catecheticae scholae consuetudine facta. Sic, priore 177 anni parte, saeviente nova per plurimas imperii Romani provincias perse-

1. « Du vray et parfait Amour, escrit en Grec par Athénagoras, Philosophe « Athénien; contenant les Amours honnestes de Theogenes et de Charide, de « Phérécides et de Mélangénie : traduit du Grec d'Athénagoras, par Martin « Fumée, Seigneur de Génillé. A Paris chez Michel Sonnius, 1599, in-12 » — deinde « chez Daniel Guillemont, 1612, in-12 ». — Fraudis copiosam fecit demonstrationem La Croze in Epistula ad J.-C. Wolf (*Thesauri epistulici Lacroziani*, t. III, Lips., 1746, 4°, p. 249 sqq.), apud Otto, p. vii. Cf. supra *Indicem*, I, A, *1670* et passim.

cutione Christianisque in Oriente dire a crudelioribus delatoribus vexatis, Athenagoras ad imperatores ambos, philosophos dictos, Marcum scilicet Aurelium filiumque ejus Commodum quamdam *De Christianis Deprecationem*, sive Πρεσβείαν περὶ Χριστιανῶν misit, qua, utpote philosophus, christianam defendebat religionem, dum nonnullas ejus praecipuas partes cum philosophorum doctrinis et maxime cum Platone esse communes ostendere nititur.

Paulo post, proprio tractatu, *De Resurrectione mortuorum*, Περὶ Ἀναστάσεως νεκρῶν, Christianorum doctrinam expositam defendebat.

Marco quidem Aurelio, qui anno 180 vita functus est, superfuit nimirum Athenagoras, quippe cui grammaticus quidam, nomine Boethus, qui Platonis glossis vacabat, unum e suis de inclyto philosopho operibus, post illius imperatoris obitum, dedicaverit.

Athenagoras vero, a maximis Ecclesiae rerum scriptoribus Eusebio et Hieronymo, quibus causis incertum est, silentio praetermissus, a tribus tamen eruditis Minoris Asiae presbyteris vicissim veteribus temporibus cognitus est atque aestimatus, — a Sancto scilicet Methodio, Olympiensi episcopo circa annum 300, id est centesimo circiter tantum anno post apologetae nostri mortem; — deinde circa annum 430 a presbytero Philippo Sideta, qui notitiam ei tribuit; — denique, anno 914, ab Aretha Caesareensi archiepiscopo, qui illius scriptorum textum summa industria exarandum curavit. Ab XI° autem seculo eumdem doctis omnibus viris notissimum fuisse plurimi codices testantur [1].

1. Clancularius quidam scriptor, qui medio videlicet aevo vixit, narrat Athenagorae Supplicationis codicem, quo tabernarius salitos pisces, quos venderet, involveret, a se Constantinopoli emptum esse (HARNACK, *Geschichte*, I^a Pars, p. 114).

CAPUT III

Apologiae philosophica prima pars (*atheismi* crimen refutatum) expenditur.

Exordium, cap. 1 et 2. — Divisio, c. 3.

De uno Deo Christianorum doctrina, c. 4-12 (Philosophica Dei unitatis demonstratio, c. 8. — Sanctae Trinitatis expositio, c. 10).

Pagani lacessuntur dii, c. 13-30 (Materia a Deo discernenda, c. 15 et 16. — De praecipuis ethnicorum deorum simulacris eorumque scalptoribus, c. 17. — De daemonibus, c. 23-27).

Cum jam quae de Athenagora ipso scire licet noverimus, praecipuum ejus opus diligenter expendendum, Apologia scilicet « Πρεσβεία περὶ Χριστιανῶν » inscripta, qua Noster, ut vidimus, plurimos sui seculi christianos aemulatus est scriptores. Hujus igitur causae argumenta et quo ordine disposita sint et quid quodque valeat attente circumspiciamus.

*
* *

Brevi firmoque *exordio*, quod primo et secundo capite continetur, totum terrarum orbem, imperatoribus subditum describere coepit Athenagoras, et Troas et Lacedaemonios et Athenienses Aegyptiosque, qui, suos cujusque deos vel ridiculos adorandi facultate concessa, tam humanis principibus maximas habent gratias : Christianos contra, non pro ullo scelere, sed pro solo nomine ab ignavis delatoribus denuntiatos et ab

ignara turba vexatos, a magistratibus condemnari solere. Quare a Marco Aurelio Commodoque postulat ad Christianos quoque attendi, ut a delatoribus tandem mactari desinant « Δεόμεθα ὑμῶν καὶ περὶ ἡμῶν τι σκέψασθαι, ὅπως παυσώμεθά ποτε ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν σφαττόμενοι » (Caput 1).

Tum vehementer indignatur quod fratres ejus ob solum nomen insimulantur christianum et a principibus flagitat legem quae Christianos tanto damno liberet. Talem enim agendi modum, Justini exemplo [1], ostendit cum rectae justitiae tum sanae philosophiae funditus adversari. Eadem igitur Christiani habeantur ratione qua illi rei qui principibus ipsis adsunt, poenaque afficiantur μὴ ἐπὶ τῷ ὀνόματι, ἐπὶ δὲ τῷ ἀδικήματι [2]. Denique, finem capiente exordio, imperatores precatur Athenagoras ut aequas sibi nec praeoccupatas praebeant aures : « Doctrinam nostram, inquit, mihi defendere incipienti necesse est a vobis petere, maximi imperatores, ut aequos praestetis vos auditores neve communi rationisque experti fama abrepti praeoccupemini, sed vestrum scientiae ac veritatis studium nostrae quoque adhibeatis doctrinae, itaque vos non ignorantia peccabitis, nos autem inconsulta vulgi fama soluti bellum pati desinemus. — Ἀναγκαῖον δέ μοι ἀρχομένῳ ἀπολογεῖσθαι ὑπὲρ τοῦ λόγου δεηθῆναι ὑμῶν, μέγιστοι αὐτοκράτορες, ἴσους ἡμῖν ἀκροατὰς γενέσθαι καὶ μὴ τῇ κοινῇ καὶ ἀλόγῳ φήμῃ συναπενεχθέντας προκατασχεθῆναι, ἐπιτρέψαι δὲ ὑμῶν τὸ φιλομαθὲς καὶ φιλάληθες καὶ τῷ καθ' ἡμᾶς λόγῳ.

1. Apologia I[a], praesertim cap. 4.

2. P. 3, versus 29-31. Quod paromoeon reddere tentavit Gesnerus : « Puniantur non propter *nomen*, sed propter *crimen* ». At crimen accusationem potius quam scelus significare solet. — In hoc solo Athenagorae capite ὄνομα vox octies usque interponitur. — Haud aliis utebantur verbis probiores ipsi proconsules, cum de Christianis imperatorem consulerent, sic Plinius Junior ad Trajanum : « Nec mediocriter haesitavi.... *nomen ipsum*, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur ». Epist., X, 97. Sic Licinius Granianus, Asiae legatus circa annum 123 litteras ad Hadrianum mittit, « iniquum esse dicens... sine ullo crimine *nominis tantum* et sectae reos fieri ». Euseb., Chron. apud Hieronymum.

Ὑμεῖς τε γὰρ οὐ πρὸς ἀγνοίας ἐξαμαρτήσετε καὶ ἡμεῖς τὰ ἀπὸ τῆς ἀκρίτου τῶν πολλῶν φήμης ἀπολυσάμενοι παυσόμεθα πολεμούμενοι. » (Caput 2.)

* * *

Tum tria illa crimina persequitur apologeta, quae Christianis vulgo objiciebantur, atheismum[1] scilicet, humanae carnis absumptionem, illicitas consuetudines, aut, fabulari illo sermone quo ethnica ista societas uti solebat, « ἀθεότητα, Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιποδείους μίξεις[2] ». Si vero Christiani talia admittunt scelera, quae eos belluis immaniores reddant, maximis in eos saeviant poenis imperatores : caveant autem ne hae vacuae sint calumniae, in aeterno illo proelio quod inter virtutem et vitium commissum est, excogitatae (Caput 3).

Haec est igitur *divisio* nostrae Apologiae, quae triplicem illam criminationem vicissim, partibus haud aequis, refellere nitetur, atheismum 4—30 capitibus et reliquas ambas capitibus 31—36, quae postremum sequetur peroratio, capite 37.

* * *

Atheismi quidem criminatio his primis Ecclesiae seculis ubique Christianis injici solita est[3]; sic in publicis ludis turba, quotiescumque Christianos designare volebat, exempli gratia Smyrnae, circa 155 annum, adolescente quodam Germanico nomine ceterisque martyrium patientibus, nullum aliud nomen

1. Hoc parum Latino verbo utimur quod sedulius quam vox *impietas* vel quaelibet alia, Graecam vocem ἀθεότης vertit.

2. Hunc dicendi modum « Θυέστεια δεῖπνα, Οἰδιπόδειοι μίξεις », cum in Oriente tum in Occidente usurpatum esse testantur Athenagorae Legatio et Lugdunensium Viennensiumque Epistula (ap. Eusebium, Hist. Eccl., l. V, cap. 1).

3. Vide ad hoc spectantes plurimos scriptorum locos in Kortholti *Pagano Obtrectatore* (cf. supra, Indicem, II), p. 405, ac totum hoc libri IIi caput X, *De Atheismo Christianis a Gentilibus objecto.*

plerumque proferebat atque « Athei, ἄθεοι [1] ». Quod convicium prius nos miratione commovet, cum a nemine magis et melius quam a Christianis non dii, sed Deus saltem affirmetur idemque percolatur. Illud autem reputandum est quod pagani viri veteres Christianos videbant templa deserere, neque alia adire vel struere, utpote qui in loca non nisi secreta convenirent, et pro templo, ut ait Eusebius, agro aut navi, stabulo aut carcere uterentur [2]; praeterea ethnica despicere simulacra neque alia fingere, paganisque sacrificiis abstinere nec sibi alia adhibere videri. Itaque, quoniam apud Christianos nullum Dei cultum oculis spectabant, ullum esse ideo negabant; quod circa exiens tertium seculum diligenter expressit, Paganos allocutus his verbis, Arnobius : « Consuescitis crimen nobis maximum impietatis affingere; quod neque aedes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus, aut formam : non altaria fabricemus, non aras, non caesorum sanguinem animantium demus, non thura neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus [3]... »

Hujus igitur criminis refutatio, de quo Athenagoras inter omnes Patres copiosissime accuratissimeque disputavit, Supplicationem fere totam adimplet; in duas partes facillime distingui potest, priorem scilicet quae Christianorum de uno Deo doctrinam expositam defendit, posterioremque ubi pagani lacessuntur dii.

In priore quidem parte (cap. 4-12) duplici argumentatione probare tentat Noster Deum a Christianis coli, nedum in

1. Eusebii *Hist. Eccl.* IV, 15. Hoc spectaculo lassata multitudo clamavit : « Αἶρε τοὺς ἀθέους. »
2. *Hist. Eccl.*, VII. 22.
3. *Adversus Gentes*, lib. VI. cap. I (*Migne*. Patr. Lat.. t. V). Lege totum hunc librum et confer Minucii Felicis *Octavium*. c. 10 : « Cur nullas aras habent, templa nulla. nulla nota simulacra...? »

atheismi vel suspicionem cadere possint, atque unum reipsa esse Deum. Quod explicare coepit, dum a Diagora Melio illo profane patrata, qui apud veteres tanquam deorum negator haberi solebat[1], sanctae Christianorum de Deo doctrinae admodum presso sermone opponit (Cap. 4). Dein quibusdam locis ex Euripide[2] aut Pseudo-Sophocle, quem Sophoclem habet, ductis, ethnicos poetas sive de ethnicis diis dubitavisse sive unum esse deum ipsos professos esse neque ideo impios esse existimatos ostendit (Cap. 5). Haud alio modo, inter paganos philosophos Deum designant Pythagoraei *numerum* (ἀριθμόν), Plato *effectorem et patrem hujusce universi* (τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντός), Aristoteles *unum veluti animal compositum* (ἕνα οἱονεὶ ζῷον σύνθετον), *ignem artificiosum* (πῦρ τεχνικόν) Stoici (Cap. 6). Quod illi, ut animadvertit post Justinum Athenagoras[3], ne suspicari quidem potuissent nisi « cognatione sua cum divino spiritu, κατὰ συμπάθειαν τῆς παρὰ τοῦ θεοῦ πνοῆς » : nos autem, inquit, quosdam veri testes, Prophetas scilicet habemus, divino afflatos spiritu. Nonne igitur absurdum fuisse futurum vos ipsi existimetis, si nos, divino hoc spiritu contempto, sententiis incumberemus humanis? (Cap. 7.)

Huc accedit philosophica quaedam Dei unitatis demonstratio, quae propterea nos delectat quod prima apud christianos legitur scriptores. Hac relata, imperatoribus Athenagoras probare vult christianos viros ratione ipsa uti solere ad suam fidem defendendam, « ἵν' ἔχητε, inquit, καὶ τὸν λογισμὸν ἡμῶν τῆς πίστεως ». Si duo quidem sint dii, vel in eodem esse loco vel in duobus postquam declaravit, acri vividaque et pressa argumentatione utrumque considerat : si in uno loco exsistant, nihil nisi summae unius partes sint, quod fieri nequit, cum

1. V. Tullium, *De Natura Deorum*, I, 2; III, 37.
2. Secundi ex Euripide citati loci verum sensum mutat Noster, ut explicavit Otto, p. 25, n. 6.
3. Justini *Apologia* II, cap. 13.

« Deus nec generari nec pati nec dividi possit, ὁ θεὸς ἀγένητος καὶ ἀπαθὴς καὶ ἀδιαίρετος ». Sin autem alter alterum obtineat locum, quomodo fit? Quandoquidem enim hujus mundi creator in mundo et circa mundum versatur, ubinam sit alter? cui nullus jam linquitur locus. Etiamsi vero locum quemlibet supra mundi creatorem occupare posset, non potentia abundaret quia in circumscripto versaretur loco, neque quidquam faceret, quoniam mundum fecit alter, neque ullam exerceret providentiam, quoniam nihil fecit; ergo non est deus, Deumque ex origine unum mundi creatorem esse profitendum. — Haec est disputatio, quae jure Dei unitatem Dei infinitate monstrare conatur; mendis quidem non caret, nam aliquando est subtilior, quod Graecum bene declarat, et in explicanda Dei notitia locum paulo nimis prospicit; adde quod inter omnes convenire mundi creatorem esse Deum opinari videtur scriptor : attamen callida eademque pro tempore conspicua argumentatio (Cap. 8) [1].

Confestim autem Athenagoras, aliquo timore affectus ne ob tales philosophicas argumentationes humana videatur Christianorum doctrina, Moysis unum et Isaiae tria de uno Deo testimonia citat, postquam divinae Prophetarum inspirationis genus apte descripsit imperatoresque obiter laudavit, eos doctiores esse existimando quam ut illa prorsus nescirent (Cap. 9).

Tum redit Noster ad prius disputationis suae propositum, Christianos scilicet minime atheos esse [2], quod nunc manifestum facit praestanti quadam Sanctae Trinitatis doctrinae expositione, qua nullam meliorem ante Nicaeense concilium

1. Huic capiti, quod saepius attentiusque quam cetera perlegi a me debuit, haud deesse interpolationes verisimile est : quas ponit Schwartz, vide p. 9, in notis. — Platonis doctrinae vestigia deprehendas, p. 8, v. 27-29, ubi genita inter se similia, quod commune reddant exemplar, monstrantur.

De hac demonstratione, cf. Schubring, *Die Philosophie des Athenagoras* (V. supra Indicem, I. A, *1882*), p. 25 et n. 8.

2. Ad quod jam spectabat caput 4.

compositam esse plerique theologi consentiunt [1]. Unius enim Dei, « qui sola mente et ratione comprehendi potest », propria cum magnifice descripsit, quas partes in mundi creatione susceperit Verbum, Dei Filius, « secundum quem et per quem omnia facta sunt, πρὸς αὐτοῦ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο », diligenter explicat [2]; dein Sanctum Spiritum « qui in Prophetis operatur, effluentiam » dicit « esse Dei, effluentem ac redeuntem veluti solis radium, τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς ἅγιον πνεῦμα ἀπόρροιαν εἶναί φαμεν τοῦ Θεοῦ, ἀπορρέον καὶ ἐπαναφερόμενον ὡς ἀκτῖνα ἡλίου [3] ». Postremo mira hac summa totam colligit doctrinam, dum praedicat trium personarum « in unione divinitatem et in ordine distinctionem, τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν [4] ». E paucioribus autem illis verbis nonne aestimare licet quanta dicendi firmitate tam arduum illustratum sit mysterium? immo, si hoc de Trinitate caput

1. « Quis », exclamat etiam LE NOURRY eruditissimus Ordinis S. Benedicti monachus, « hanc doctrinam clarius unquam expressiusque praedicavit quam Athenagoras? », in capite, cui inscribitur titulus : *Quam recta et orthodoxa sit Athenagorae de S. S. Trinitate et summa Christi divinitate sententia* (p. 487). Hunc probaverunt quoque et protestans ipse BULLUS, *La Défense de la foi de Nicée*, et celeberrimus ipse BOSSUET, *Sixième Avertissement aux Protestants*, ut infra, in I[a] Appendice, per singula monstrabitur, et CEILLIER (t. II, p. 119) et MARANUS (*Migne*, Patr. Graec., t. VI), uterque, ut constat, Ordinis S. Benedicti monachus. BLANC quidem presbyter, qui nunc in clerorum scholis haud parva fruitur auctoritate, Athenagoram defendit, cui solum aliquam dicendi imperitiam vitio vertit (p. 230-231). — Nostrum autem improbaverunt PETAVIUS, cujus criminationes refellerunt cum LE NOURRY (p. 489-491), tum MARANUS (*Migne*, *op. cit.*, p. 907, n. 64 sqq.), — et BARBEYRAC, qui multo liberius ideoque falso nonnullos hujus capitis locos Gallice reddidit. — De hoc cf. etiam FR. GUIL. DAETZSCH, *De Notione Trinitatis apud Athenagoram*, Hal., 1830.

2. Toto hoc loco apologeta Sancti Joannis Euangelii exordium commentari videtur, vide infra nostrae Conclusionis notas. Eadem fere verba, quarto post Christum natum seculo, Nicaeensi Symbolo recipientur.

3. Hac comparatione Athenagoram paululum a Justino dissentire explicat LE NOURRY (p. 488-489) : « Justinus impugnat haereticos qui aiebant Filium esse sicut *lucem solis*, maluit generationem Filii cum igne, quo alius ignis accenditur, aptiori similitudine componi [ex. gratia *Dial. cum Tryph.*, c. 61] ». Prudenter vero concludit : « Certum est tamen illas comparationes ab utroque eodem plane sensu institui ».

4. Δύναμιν vocem *divinitatem* ideo Latine vertimus quod apud hujus aevi Patres saepe *naturam*, hic *divinam naturam* significat, ut a pluribus notatum (OTTO, p. 48, n. 16, C. A. KAHNIS, *Die Lehre v. heil. Geiste*, P. I, Hal. 1847, p 244, etc.). Cf. Athenagorae ipsius c. 24.

proximo illi de uno Deo alteri conferes, jure existimabis utrumque inter totius Apologiae praestantissima habendum esse, atque Athenagoram tantum ingenii acumen in philosophica demonstratione quantum mentis robur in theologica expositione prae se tulisse (Cap. 10)[1].

Propria autem praecepta, quae vivendo sequuntur Christiani, ei novo sunt argumento hos ab atheismo procul abesse : tum a Matthaeo ducit Athenagoras eximiam Christi de caritate erga inimicos doctrinam, e sermone Montis dicto, quem jam Apologiae primo citaverat capite. Hic ab imperatoribus postulat ut sibi liceat liberius erumpere : magna enim vi cum arguta quadam ironia mixta perversos opponit istos rhetores ac sophistas, verborum peritos, voluntate autem noxios, christianis illis opificibus vel anubus, qui, etsi fidem suam verbis explanare nequeunt, factis eam commendant suis[2] : quorum utri sublimem illam caritatis disciplinam in usu habent? (Cap. 11.)

Num autem Christiani hanc « modestam et benignam et aspernabilem vitam, τὸν μέτριον καὶ φιλάνθρωπον καὶ εὐκαταφρόνητον βίον » sibi elegissent, nisi Deum humano generi praeesse et quemque post mortem mundi Creatori totius vitae suae rationem redditurum esse putarent? « Dixit quidem Plato Minoem et Rhadamanthum jura daturos esse[3], nos autem non ullum, etiamsi Minos Rhadamanthusve fuerit vel ejus pater, Dei judicium vitaturum esse praedicamus. » Tunc justa iterum abreptus indignatione ostendit apologeta Epicureos illos viros,

1. Hoc caput, quod haud unam horam ut funditus intellegatur, quoque requirit, passim subobscurum ideo videtur quia voces quaedam sensibus diversis eaedem adhibentur, exempli gratia λόγος qui *Verbum*, *orationem* aut *rationem* vicissim significat, et πνεῦμα, quod pro *Spiritu*, aut *divina natura* sumitur. — Praeterea in nonnullis locis corruptum esse textum manifestum est.

2. Christianos illos opifices, qui « Deum et inveniunt et ostendunt », citat quoque Tertullianus, Apolog. c. 46 (apud *Otto*, p. 53, n. 17).

3. In Gorgia.

quibus, sicut jam Isaiae tempore, in ore est : « Comedamus et bibamus, cras enim moriemur[1] », istos credi erga deos esse pios : homines contra, qui hanc vitam parvi faciunt nec quidquam student nisi unum in tribus personis Deum cognoscere (hic colligitur de sancta Trinitate doctrina) et inimicos suos diligere (rursus dicti in Monte sermonis quaedam, e Luca quidem, citantur) propterea ut divini judicii fugiant condemnationem, tales erga Deum pii esse negantur!

Hunc autem dicendi impetum, qui vere eloquentiam reddit, sistit Athenagoras, simplici quadam, immo vulgari imagine usus, quae magis mercatorem quam oratorem deceret, aut potius Socratis cotidianum redolet sermonem : « Haec igitur, inquit, parva e magnis, pauca e multis dicta sunt, ne vobis diutius molestiam afferamus : etenim qui mel et lactis serum [Gallice *petit-lait*] gustant, e parte exigua rem totam aestimant. Καὶ γὰρ τὸ μέλι καὶ τὸν ὀρὸν δοκιμάζοντες μικρῷ μέρει τοῦ παντὸς τὸ πᾶν εἰ καλὸν δοκιμάζουσιν. » (Cap. 12.)

*
* *

Tunc Athenagoras, postquam tali modo Christianorum de Deo philosophicam et theologicam exposuit doctrinam moribusque probatam esse commonuit, duo praecipua ab Ethnicis in fratres suos immissa crimina refellere suscipit, quod scilicet Christiani abstinent sacrificiis, ut jam supra animadvertimus, neque eosdem ac ceterae gentes colunt deos; in qua Apologiae parte a christianae fidei defensione ad paganorum errorum insectationem transire videtur.

Quod quidem, inquit, ad sacrificia pertinet, ignari isti qui

1. Hae voces (Is. XVII, 13) a Sancto Paulo I Cor. xv, 32 ad verbum repetitae versantur.

atheismum Christianis objiciunt, Deum nesciunt non sanguinis indigere, sed gratissimum illi esse sacrificium si quaecumque creavit cognoscuntur, quae apologeta noster e primo Genesis capite magnifice enumerat, breviterque concludit Deo oportere « incruentum sacrificium rationalem scilicet offerre cultum, ἀναίμακτον θυσίαν τὴν λογικὴν προσάγειν λατρείαν[1] ». — Hoc autem capite, quo Athenagoras, Justini exemplo[2] aliorumque Patrum more[3], illum psalmi *Miserere* locum « Holocaustis non delectaberis » commentari videtur, non poterat ideo non omittere Missae sacrificium, quod alterum sacrificium Crucis fingit, quia ab ethnicis accusatoribus cruenta sacrificia significari perspicuum erat[4]; praeterea, sacra sua Christiani mysteria si sacrificia dixissent, sine dubio prave fuissent intellecti, immo in illud crimen potuissent incurrere quod ipsis tunc injectum erat idque infra refutabitur in Apologia, vivum infantem a se occultis ritibus mactari solere (Cap. 13).

Alteram vero vituperationem, Christianos scilicet non eosdem colere deos ac ceterae gentes, prorsus stultam haud immerito declarat orator : namque Athenienses Celeum et Metaniram, Lacedaemonii Menelaum, Hectorem Ilienses adorant, et longa enumeratione, quae jam primo inchoata erat capite, partim ex Herodoto plurimas Graecas percenset civitates suos quasque celebrantes deos neque ullo modo de numinibus iisdem consentientes, ceterasque silentio praetermittere cogitur « ne dicentem, inquit, dies deficiat ». Tum Aegyptiorum ritus necnon planctus, quibus divina sua animalia defuncta prose-

1. Hic Iliadis tres de sacrificiis versus citat et reprehendit Athenagoras (p. 14, v. 25-28), quos verisimile a Platone (Rep., II, p. 364 d) mutuatus erit. Hoc nemo, meo saltem cognitu, hactenus indicavit.

2. Apol. I, c. 9 et 13.

3. Ep. ad Diogn., c. 3; Tertullianus, ad Scapul., c. 2; Minuc. Fel., Octav. c. 32, § 2 sqq.; Irenaeus, Adv. haer., IV, c. 14, § 3 (apud *Otto*, p. 59, n. 7).

4. Sic Justinus Apologiae I, c. 65 eximiam praebet Missae descriptionem, postquam capitibus 9 et 13 Deum sacrificiorum indigere negavit. — Cf. supra, p. 34, citatum Arnobii locum.

quuntur, obiter perstringit[1], et sic perorat : « Si igitur nos, quia non eamdem atque illi pietatem erga deos habemus, impii sumus, omnes civitates, omnes gentes impiae sunt : non enim omnes eosdem agnoscunt deos ». — Re vera, inter varios deos, qui per terrarum orbem aliquo cultu fruebantur, maximos plerosque aliis alios assimulari solitos esse constat, quod apud Graecos et Romanos, inter Athenam scilicet et Minervam, Δήμητρα et Cererem totque alios manifestum est : itaque maximi diversarum gentium dii haud admodum, sed ferme iidem esse Paganis profecto videbantur (Cap. 14).

Si autem Christiani, pergit Noster, eosdem forte ac Pagani deos adorarent, quid ergo? Num, materiam cum Deo confundentes, simulacris nos summitteremus? Quod nihil sane esset nisi figulum et lutum, aut phialas et aurarium in unum redigere, et, si quid callidi in hujusmodi opere emineret, inertem materiam, non opificem laudare. Tales ergo comparationes ab artibus sumptas Atheniensique viro plane dignas sequitur Athenagoras (Cap. 15). — Ne mundum quidem, quavis pulchritudine undique splendeat, sed ejus artificem adorandum superaddit, hocque ut illustret, similitudinem quamdam vere novam imperatoribusque, quos alloquitur, aptissimam adhibet : subditorum illi qui ad vos accedunt, inquit, non, omissis vobis dominis, se totos in contemplanda vestrarum aedium majestate defigunt, sed regiam sedem obiter mirantes, vos potissimum celebrant. — At vos reges vobis ipsis regias aedes adornatis, mundus autem factus est quanquam ejus non indigebat Deus, qui ipse sibi perfectus est mundus[2]. — Quocumque igitur pacto

1. Aegyptiorum cultum jam Pagani ipsi irridebant, exempli gratia philosophus Heraclitus (apud Epiphanium, Ancorat., § 106) et Juvenalis poeta Satir. 15. Haud semel a veteribus Patribus exagitatus est, a Clemente Alex. *Paed.* III, c. 2, § 4; a Minucio Felice, Oct. c. 21; ab Epiphanio (l. c.); a Lactantio, *Instit. div.* I, c. 20. Cf. *Otto*, p. 6 n. 11, p. 65 n. 16 et 18.

2. Cf. Tertullianum (adv. Prax., c. 5) et Minucium Felicem (c. 18, § 7), apud *Otto*, p. 71, n. 6.

mundum concipias, ipsum non debes adorare, eodemque loco percensentur diversae de hac re rationes. Si mundus vero concinnum est instrumentum (ut Tullius e Platone Somnio Scipionis elegantissime finxit [1]), musicum quidem, non instrumentum adoro : neque enim in certaminibus citharae, sed citharaedi a praesidibus coronantur[2]. Atque eodem modo aliae cum Platonis tum Peripateticorum de mundo sententiae vicissim expenduntur[3]. Mundi enim elementa, etsi praeclara visu propter opificis artem, dissolutioni tamen obnoxia ob suam materiae naturam[4] : quemadmodum igitur ea admiror, eadem ut deos adorare nequeo. Ista autem simulacra, quorum opifices homines esse comperi, quomodo deos appellaverim? Quibus extremis verbis ad proxima directe adduceris capita (Cap. 16).

Duplici enim illo capite, quod tam argumentis validum est quam imaginibus nitidum[5], pressa simul uberique eloquentia constituere nititur Athenagoras materiam a Deo secernendam esse, sic ipsum pagani cultus principium evertens, antequam de ethnicis simulacris per singula disputat.

Sibi enim jam proponit pressioribus etiam probare argumentis (ἀκριβεστέρους παρέχειν τοὺς λογισμοὺς) deorum nomina recentia esse illorumque signa quasi heri facta esse. Nomina quidem, Herodoti quodam loco fretus[6], diis ab Orpheo et Homero et Hesiodo imposita esse asseverat, haud suspicatus hos poetas non sua auctoritate appellavisse deos, sed iis no-

1. Cap. x, e Platonis Rep. x.

2. Eodem exemplo Tertullianum usum esse (Ad Nat. II, c. 5) ostendit Maranus (V. *Otto*, p. 81, n. 9).

3. Non propriam Peripateticorum sententiam hic aptissime referri docet Maranus.

4. Hoc Platonis (Politic. p. 269 d) quadam sententia confirmat scriptor.

5. Materia vicissim figuli luto, phialis et aureis vasis, regiis aedibus, instrumentoque potissimum citharae confertur.

6. « Ἡσίοδον γὰρ καὶ Ὅμηρον... » II, 53.

mina illa contulisse quae in omnium ore antehac fuerant. — In altera autem parte eumdem nos multo magis docere confitendum est : namque historicam graphices et picturae et pupas fingendi artis et plastices et statuariae originem cum nominibus inventorum et fabellis describere coepit, ex quo colligere curat « cujusque dei artificem designari posse » : exempla enim praebet decem Graeca, inter celeberrima, simulacra Artemidis, Athenae, Apollinis, Herae, Aphroditae Aesculapiique, quorum fabricatores octo vicissim denuntiat, Endoeum scilicet, Theodorum et Teleclem[1], Tectaeum et Angeliona, Smilida, Praxitelem Phidiamque, et vivide breviterque, ut solet, concludit : « Si igitur dii, cur non erant a principio? cur fabricatoribus recentiores sunt? cur iis, ut fierent, opus erat hominibus et arte? terra haec sunt et lapides et materia et ars curiosa, γῆ ταῦτα καὶ λίθοι καὶ ὕλη καὶ περίεργος τέχνη »[2].

Quam multis vero certisque de artium historia documentis hoc caput abundet, ante omnium oculos positum : quorum pleraque aliis testimoniis, praesertim Plinii Majoris et Pausaniae confirmantur, uno illo excepto, quod Epidaurii Aesculapii imago Phidiae pro Thrasymede tribuitur, error textui potius quam ipsi scriptori forsan assignandus[3]. Ergo cetera, quae solus refert Athenagoras, nihil omnino obstat quin verissima habeantur[4]. Manifestum est igitur Athenagoram artium peculiare studium necnon haud vulgarem scientiam prae se tulisse, eaque callide usum esse ut, promisso suo fungens (ἀκριβεστέρους παρέχειν τοὺς λογισμούς), plurimorum signorum, quae tunc

1. Uterque in una illarum statuarum collaboravit, sic in altera proxime sequentes.

2. His similia habent verba Clemens Alexandrinus (Protrept. c. 24, § 56) et Arnobius (Adv. Nat. VI, c. 14), apud *Otto*, p. 81, n. 34.

3. Phidiae nomen huc corruptela translatum esse censet *Schwartz* (p. 19). Illam enim statuam a Thrasymede factam esse ex inscriptione ei adjecta testatur Pausanias (II, 27, 2).

4. Vide infra, II[a] Appendice, quam instituimus disputationem *Quam fidem mereantur Athenagorae documenta ad artium historiam spectantia.*

summa religione ab ethnicis viris colebantur, propria aperiret initia (Cap. 17).

At nonnulli pagani viri, inter quos Celsus, respondebant talia signa deos non esse, sed in deorum honorem facta, et supplicationes quae simulacris adhibeantur, solam viam esse eos adeundi, quod probaretur secreta vi qua illorum nonnulla praedita essent[1]. — Hanc igitur exspectatam objectionem refutaturus, apologeta postulat ab imperatoribus ut, antequam ostendat cur sic quaedam simulacra valeant, veras aliquot de diis afferre rationes sibi liceat : utinam intellegant illi principes, pater et filius, quibus totus propter potestatem a Deo acceptam paret mundus, haud secus uni Deo Verboque Filio universa esse subjecta[2]!

Post hoc breve exordium sicque declaratum disputationis ordinem, apud Ethnicos deum quemque, ut nosmetipsos, natum esse asserere coepit[3] : cujus rei testes invocat antiquiores duos poetas, quos nimirum pro paganis theologis habet, *Homerum* dicentem ex Oceano deos duxisse originem « Ὠκεανὸν..., θεῶν γένεσιν »[4], et *Orphea*, cujus vestigia secutum esse Homerum veteres existimabant, ejusque theogoniam, Plutarcho consentiens[5], hic collegit Athenagoras[6] : omnium principium fuisse

1. Cf. Arnobium, Adv. Nat. VI, c. 17, et Lactant., Instit. Div., II, c. 2.

2. Hoc adeo loco supra nisi sumus, II° capite, ut quibus principibus missa sit Apologia, finiremus. — De caelesti humanae potestatis origine affert scriptor Proverbiorum versum (XXI, 1), sicut Paulum Apostolum afferre potuisset : « Omnis potestas a Deo ».

3. Saepe a veteribus Ecclesiae scriptoribus deorum originem perstringi, ex. gr. a Pseudo-Justino, Cohort. ad. Gent. c. 2, a Tatiano, Or. ad Gr. c. 21, animadvertit *Otto*, p. 84, n. 17. — Hic dicendo « Οὐκ ἐξ ἀρχῆς ἦσαν οἱ θεοί » alludere videtur Athenagoras Joannis Euangelii initio : « Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος ». At quid verbis « ὥς φασιν » medio interpositis significat? — Vide infra p. 114, n. 1, et p. 137.

4. Iliad., XIV, v. 201 et 302. Hic versus in Cohortatione quoque ad Gent. jam supra dicta citatus est. (Errore eum *Schwartz* versu 18 pro 15 indicat.)

5. Sympos., II.

6. Cf. Cohort. ad Gent., c. 15 et 36. — Hic citat Athenagoras Homeri versum, quem Orpheo supponit, quod pluribus aliis accidebat; eumdem, sed tanquam Homeri, citaverat illic Pseudo-Justinus, c. 5. — Cf. *Otto*, p. 85, n. 24.

aquam, unde constitisse lutum, ab utroque autem generatum esse portentosum draconem, Herculem et Chronum nomine; tum Herculem immensum ovum genuisse, quod, in duas partes effractum, Coelum et Terram finxerit, qui Parcas et Gigantas et Titanas genuerint[1]. — Hanc vero deorum et mundi generationem paene prorsus eamdem Hesiodus professus est[2], et Phoenices quoque et Aegyptii, Eusebio teste[3], pleramque admiserunt (Cap. 18).

His autem de deorum generatione positis, sic breviter ratiocinatur Athenagoras : Si geniti, non sunt, « nam aut ingenita esse possunt et aeterna, aut genita et corruptioni obnoxia, ἢ γὰρ ἀγένητόν τι, καὶ ἔστιν ἀΐδιον, ἢ γενητὸν, καὶ φθαρτόν ἐστιν ». Haud aliud, inquit, atque ego, docent philosophi : Plato enim mente concepta, quae reipsa sunt, ab his quae sensu capiuntur, nec sunt, diligenter in Timaeo secernere studuit[4], et Stoici, cum ex providentia et materia constitutum esse mundum doceant, hunc olim, tanquam materiae participem, conflagraturum esse affirmant[5] : quid ergo melius constent dii ex aqua facti? Praeterea, ut isti existimant, non aqua solum omnium principium esse potest, quippe artifice opus est materiae, et « genitas res antecedat efficiens causa (Deus scilicet) necesse est, τὸ γὰρ ποιητικὸν αἴτιον προκατάρχειν τῶν γιγνομένων ἀνάγκη » (Cap. 19)[6].

Si igitur isti theologi contendere sat haberent deos natos

1. Observat Suffridus Petrus Titanas ab Athenagora confusos esse cum Gigantibus (ap. *Otto*, p. 87, n. 36). — De Titanibus tres versus Orphei citat, quos nusquam alibi legas.

2. In Theogonia; sed Parcas Noctis, non Terrae filias esse asserit.

3. Praep. Euang., I, c. 10, et III. c. 11. Lege Marani notam, ap. *Otto*, p. 86, n. 28, et cf. Schubring (V. supra, Indicem, I, A, *1882*), p. 8 et n. 4.

4. Tim., p. 27 D (Opp. ed. Bip., vol. IX, p. 301). Eodem Timaei loco (quem notare omittit Schwartz) usus erat ignotus Cohortationis ad Gent. scriptor c. 22 (*Migne*, Patr. Graecae, t. VI, p. 279), apud *Otto*.

5. Illa sententia, Epicureis communis, a Tullio relata (Deorum Nat. 2, 46; 3, 14) haud ab uno Patre memorata est, cf. Justin. Apol. I, c. 20, et Apol. II, c. 7, Tatian. Or. ad Gr., c. 6, Minucium Felicem Oct. c. 34, § 2.

6. Huic capiti falso apud Migne ex Marano inscriptus est titulus : *Philosophi cum poetis consentiunt de diis*. Potius contrarium est.

esse et ex aqua constare, equidem, inquit, atheismi crimine relicto, ad cetera transirem[1]. Sed deorum corpora disposuerunt : Herculem enim deum, quem antea, ex Aegyptiorum fabulis haustum, commemoravit scriptor[2], — dracona esse et Gigantas centimanos et Persephonen quattuor oculis, duplici facie cornibusque praeditam fuisse docuerunt. Insuper iidem deorum gesta commode, ut putant, descripserunt : itaque hic sereno vultu profert Athenagoras et Saturni et Jovis turpissima, tum sic erumpit : « Necesse est, cum haec ita se habeant, dicere : Quid grave vel honestum[3] in tota hac historia? aut quis homo judicio probatus talia admitteret? » Narrat etiam ex aliquot Orphei versibus, quem jam supra secutum esse eum vidimus[4], Phanetis illius historiam, qui, ex ovo natus et draconis speciem ferens, viperam generaverit postremoque ab ipso Jove sit devoratus[5]. « Si igitur nihil, ut concludit, a vilissimis belluis discrepant, non sunt dii. Εἰ γὰρ μηδὲν διενηνόχασιν τῶν φαυλοτάτων θηρίων, οὐκ εἰσὶν θεοί. »

Ceteros vero Patres atque etiam ethnicos viros, exempli gratia Plinium Majorem, talia deorum ridicula vel dedecora uberioribus perstrinxisse irrisionibus animadvertendum[6], sed Nostrum, postquam pauca inter divina flagitia delegerit, ea cum insigni sobrietate et nescio qua eloquenti gravitate tractavisse. Praeterea, inter varias animalium figuras quae diis tribui solebant, draconis figuram potissimum excerpsit, cujus

1. Humanae scilicet carnis absumptionem et illicitas consuetudines, quas tantum c. 31 adibit.
2. C. 18.
3. Vox χρηστόν hic potius *honestum* quam *utile*, ut Gesnerus et Otto verterunt, significare mihi videtur.
4. C. 18.
5. Cf. Proclum in Timaeum II, 137, et Hesiodum qui in Theogonia talem serpentem ex Phorcyne natam descripsit.
6. Lege totum Plinii Hist. Nat., II, caput V[um] (ed. Littré), et cf. Tertullian. Ad Nation. I, c. 14, Apolog. c. 16, Minuc. Felic. Octav. c. 21, Arnob. Adv. Nat., III, c. 12 sqq., Euseb. Praepar. Euang., III, c. 2 (ap. *Otto*).

quinque usque exempla praebuit[1], quasi nihil esse absurdius existimaret quam deos, qui tam elati esse deberent, animalia humi repentia effingere : cui « *dracontomorphiae* », si hanc mihi licet fingere vocem, alludere mihi videtur in illa quam supra retuli conclusione, ubi « *vilissimarum belluarum*, τῶν φαυλοτάτων θηρίων » meminit (Cap. 20).

At si objicerent isti theologi diis plerumque non animalium esse formam, sed humanam pariterque hominum sensus et cupiditates[2], etiam tunc, talem rationem esse nugas et ridicula « λῆρον καὶ γέλωτα » arbitrandum esset. « Nam neque ira nec cupiditas aut appetitus nec semen ad procreandum in deo sunt, οὔτε γὰρ ὀργὴ οὔτε ἐπιθυμία καὶ ὄρεξις οὐδὲ παιδοποιὸν σπέρμα ἐν τῷ θεῷ ». Humanam igitur reddant figuram, sed superiores sint ira, moerore, corporis sive animi vulneribus, furore, homicidio, flagitiis, amore vel aliorum deorum vel hominum, humana servitute, morte, si reipsa dii sunt! — Sed hic non perspicere videtur Athenagoras utrumque necessario cohaerere diisque, ubi humana praediti forma ficti sint, humanos simul sensus tribui debere.

Illa quidem nimis humane aut potius pueriliter de diis cogitata, quae recentes quidam eruditi viri uno asperiore verbo *anthropopathiam* appellaverunt, vehementer condemnata sunt a Patribus plerisque, quibus hoc erat in certamine adversus Paganos telum quam maxime aptum[3]. Athenagoras autem, ad eamdem tractandam materiam, permultos attulit versus, ab

1. Herculem scilicet, Rheam, Jovem, Phanetem ejusque filiam. — Phanes ille mirificus et omnipotens deus erat, quem plerumque Orphici cum lumine ex antiquiore Nocte exsiluisse docebant, unde ejus nomen (φανός = clarus). Vide L. Preller, *Die griechische Mythologie*, 3ª editio, t. I, p. 36.

2. Sic intellegendum esse arbitramur, quamvis non expressa sint verba *animalium*, *humanam*, *hominum*, sed certe illa oppositio ostenditur ultimis c. 20[i] vocibus et primis hujus : « ... αὐτοὶ [οἱ θεοί] θηριόμορφοι καὶ δυσειδεῖς: — Καίτοι εἰ σαρκοειδεῖς μόνον ἔλεγον αὐτούς... ».

3. Vide *Otto*, p. 98, n. 1. — Idem ipsi Pagani quidam senserunt, ex. gr. Plinius Major (Hist. Nat., II, c. V), quem supra indicavi.

Homeri utroque carmine aut ab Euripide Aeschylove ductos[1], quorum plures jam apud Platonem in Republica[2] repererat. Quae exempla multo majore quam apud Nostrum mos est, dicendi impetu proferuntur; illam enim sententiae conformationem, quae, haud semel adhibita, expositionem totam quasi rapit, supra notavimus : « Ἔστωσαν τοίνυν σαρκοειδεῖς, ἀλλὰ κρείττους μὲν θυμοῦ καὶ ὀργῆς[3]..., κρείττους δὲ λύπης[4]... Ἔστωσαν σαρκοειδεῖς, ἀλλὰ μὴ τιτρωσκέσθω Ἀφροδίτη[5]... etc. » Atque interdum ea quae retulerunt de diis poetae, breviter infitiatur scriptor, aut potius orator, sic cum duos Homeri versus de Veneris amoribus cito concludit : « Οὐκ ἐρῶσιν, οὐ πάσχουσιν[6] ». Haud unam insuper interrogationem usurpat, ubi suum de istiusmodi fide judicium summa libertate aperit : « Quis non ignorantiae accusaret tales Dei sectatores, immo obtrectatores, τοὺς ἐπὶ τοῖς τοιούτοις μύθοις φιλοθέους, μᾶλλον δὲ ἀθέους[7]... »? Subitae denique sive ad deos ipsos sive ad ethnicos scriptores compellationes sonant, quae miram orationi afferunt alacritatem, sic cum Apollinem alloquitur scriptor : « O vates et sapiens et aliis futura praesagiens, non es vaticinatus amasii

1. Homeri scilicet 26 versus, Euripidis 4 (ex Alc.), Aeschyli 5 (e Fragm.) in Thetidis ore filii funus dolentis [ab *Otto* in n. 37 omissum].

2. L. III, p. 388 c, et II, p. 383 b : inde quattuor Homeri versus et quinque Aeschyli hausisse videtur Athenagoras, eo magis quod eos aeque reprehendit Plato. — Praeterea a Cohortatione ad Graecos, diu Justino attributa, octo Homeri continuos versus mutuatus est Noster.

3. P. 23, v. 29.

4. P. 24, v. 2.

5. P. 24, v. 13. — Adde supra, p. 25, v. 9 : « Κἂν σάρκα θεὸς κατὰ θείαν οἰκονομίαν λάβῃ, ἤδη δοῦλός ἐστιν ἐπιθυμίας; ».

6. P. 25, v. 8.

7. P. 24, v. 12. Hanc alliterationem sic Gallice reddidit anno 1577 *Arnaud du Ferrier* : « ... ces *Philothées*, ains plustost *Athées*, qui prennent leur plaisir en ces sotises ». Quadam verbi translatione (*Philothée*) utebatur, quam post triginta annos usurpaturus et inclytam facturus erat Sanctus Franciscus Salesius.

Infra (p. 25, v. 1) adjicit Athenagoras : « Nonne multas hujusmodi impias nugas de diis effundunt? » Jam hac fastidiosa voce « λῆρον », capitis initio, usum esse Nostrum vidimus. — Cur autem *Schwartz* praesens verbum καταβάλλουσι codice oblatum in futurum καταβαλοῦσι correxerit, equidem, cum *Otto* et *Arethascodice* consentiens, non perspicio satis idoneam causam.

[Achillis] caedem, sed etiam manibus tuis occidisti amicum [Hyacinthum][1] », aut melius ubi Homerum aggreditur ex improviso : « Furebat velut cum Mars hastam vibrans... — Tace, Homere, deus non furit. Σιώπησον, Ὅμηρε, θεὸς οὐ μαίνεται[2] ». — Ergo quam justam indignationem apologeta, dum ethnicas exposuit fabulas, diu continuit, hic erumpentem tibi videre videris, adeo ut hoc caput, quod plurimis, ut cetera, abundat argumentis, ceteris incitatius certo appareat (Cap. 21).

At fabulam ad physiologiam (Gallice *la physique*) revocare jam ex antiquis haud pauci tentaverunt. Quam rationem ethnicos deos defendendi hoc veniente, doctissimo eodemque forsan omnium plenissimo capite indagat Athenagoras, qui maxima industria inter praecipuos talis interpretationis modos quattuor perpendit[3]. Primum enim *Empedocles*, Siciliensis ille philosophus, quem tanti aestimabat Lucretius, Jovem nihil esse nisi ignem, Heram terram, aera Plutonem, aquam Nestin versibus docuit[4] diversaque haec concreta elementa per principium quoddam *amicitiam* scilicet cohaerere. Quomodo igitur, rogat Noster, quae sine *amicitia* constare nequeunt perque alterum principium *discordiam* confundi possunt, haec deos esse aliquis contendat? Quomodo hanc corruptibilem et fluxam et mutabilem materiam cum ingenito et aeterno sibique constante Deo adaequaremus[5]?

1. P. 25, v. 26 sqq. Cf. eamdem sententiam, sed non pari vi instinctam apud ignotum Orat. ad Gr. auctorem (*Migne*, Patr. Gr., t. VI, p. 233). — Haud dissimillimo modo irridebant Christum crucifixum Judaei : « Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere », Matth., XXVII, 42 et alias.

2. P. 24, v. 21.

3. Quattuor illas partes, quas diligenter separari nunquam videram, prorsus distinguendas curavi. — Alii Patres pariter hanc deorum explicationem commemoraverunt, inter quos Tatianus, Or. ad Gr., c. 21.

4. Eosdem versus citaverunt quoque Plutarchus, De plac. philos., I, c. 3; Diogenes Laertius, VIII, 76; Porphyrius, Alleg. Hom., p. 443, ed. Gal.; Eusebius, Praep. Euang., XIV, c. 14, et alii. — Nestin eidem origini quam Nereida et Naiadas tribuit *Preller* (Griechische Mythologie, t. II, p. 454, n. 4).

5. Haec prima pars patet a p. 26, v. 10, Ζεὺς ἀργής... ad v. 26... ποιοῦντες θεῷ.

Stoici vero deorum originem a nominibus quaesiverunt : quare Ζεὺς ἡ ζέουσα οὐσία, Ἥρα ὁ ἀήρ, Ποσειδῶν ἡ πόσις, Juppiter scilicet fervida essentia, Hera aer, Neptunus potus ab iis esse dicuntur. Quae quidem corpus sunt unius Dei, spiritus illius qui omnes pervadit mundi partes, aut, ut dixerat Maro :

totam infusa per artus
Mens agitat molem et magno se corpore miscet[1].

Sed istae materiei formae futura quadam exustione corrumpantur necesse est. Itaque christianus jure exclamat philosophus : Quae corpora secundum materiae leges et immutentur et corrumpantur, quis haec confideret esse deos[2]?

Sunt autem qui deos naturali quadam *cum verborum tum rerum interpretatione* explicent ; sic τὸν Κρόνον χρόνον esse dicunt, Cronumque qui multos liberos gignat et voret, ac deinde in Tartarum detrudatur nihil esse nisi tempus demonstrant, quod omnia pariter generat et consumit, sed quod ipsum, anni tempestatibus exhaustum, evanescit; neque alia ratione cetera Croni fabulae explicantur, vel patris exsecta virilia, cujus rei lubricam interpretationem serena, ut solet, dicendi libertate reddit apologeta[3]. Ex iisdem vero Rhea terram, Juppiter aera fingeret. Ad istos, ut addit Athenagoras, dicimus : « Si tales sunt dii, mutantur et vertuntur; deus autem nec mutatur nec vertitur; οὔτε δὲ μεταβάλλει οὔτε μεταπίπτει τὸ θεῖον[4]. »

Sed cur, imperatores, molestiam vobis, plura dicendo,

1. Aen., VI, 726 et 727.
2. Cf. Minuc. Fel. *Octav.*, c. 19, § 12. — Jam Athenagoras c. 6 illam quamdam Dei unitatem apud Stoicos et c. 19 futuram mundi conflagrationem commemoraverat (vide supra). — Haec secunda pars, quae a p. 26 v. 27, Ζεὺς, ἡ ζέουσα... usque ad p. 27, v. 12... πιστεῦσαι θεούς; patet, tribus versibus interrumpitur, qui inferiorem partem nuntiant (p. 27, v. 1, 2 et 3).
3. Totum hunc de Crono locum imitatus esse videtur Tertullianus, Ad Nat., II, c. 12 (V. Maranum, p. 938, n. 97, et Otto, p. 110, n. 30).
4. Haec tertia pars a p. 27, v. 13, πρὸς δὲ τούς... ad v. 29... μεταπίπτει τὸ θεῖον, patet.

afferam, qui melius quovis novistis quaecumque asseruerunt singuli eorum qui fabulas ad naturam revocaverunt « τὰ παρ' ἑκάστοις τῶν πεφυσιολογηκότων »? Itaque non dubitat Noster quin eruditi principes *Aegyptiorum illa numina* penitus sciant quae ad Graecos in mysteriis pervaserant (de iisdem fuse jam edisseruerat Plutarchus [1]), Isin scilicet et Osirin, Isin quae Osiridis interfecti viri membra diu quaesita postremo invenit : porro Isin nonnulli dicunt aeternum esse aevum [2], e quo omnes orti sunt, Osirin autem frumenti sationem, quod diu in terra latere solet, hinc aiunt in mysteriis ob inventionem membrorum sive frugum Isidi acclamari : « Invenimus, congratulamur [3]! » Hi vero interpretes elementa eorumque partes deos faciunt [4]. Ceterum cuncti illi quidlibet potius quam theologorum opus agunt [5], qui fabulas de diis referunt, nec vident se iis quibus deos defendunt argumentis, nova contra eos praebere. Cum enim e divina majestate deciderint et ratione jam altius ferri nequeant, humi jacentes circa materiae species tabuerunt [6] elementorumque mutationes reposuerunt in deos : haud secus ac si quis navem, in qua navigaverit, pro gubernatore putaret. Sed « neque navis per se ipsa navigabit neque

1. In libro de Iside.
2. Sic intellego Graecum φύσιν αἰῶνος (p. 28, v. 2). Cf. Plutarchi fragmenta ab *Otto* relata, p. 112, n. 34.
3. Cf. Tibullum, lib. I, Eleg. 8 :

> Primus aratra manu solerti fecit Osiris
> Et teneram ferro sollicitavit humum,
> Primus inexpertae commisit semina terrae. (Apud *Otto.*)

Ad Aegyptiorum numina jam c. 1, 14, 18, 20, sive recte sive oblique attenderat Athenagoras (V. supra).
4. Illud judicium media hac quarta parte (p. 28, v. 7, 8, 9) occurrit, quae a p. 27 v. 29 τί δέ... ad p. 28 v. 14... τοῦ ἡλίου φλόγα patet. Proximis autem verbis καίτοι γε πάντα... universum de omnibus ethnicis theologis judicium, quod usque ad capitis finem patet, incipere omnino videtur.
5. « Θεολογοῦσιν ». Sic intellexerunt Gesnerus et Dechairius. Nescio cur hanc versionem repulerit Otto qui vertit : *divinitatem adstruunt* (Vide p. 114, n. 44).
6. « Ἐπὶ τὰ εἴδη τῆς ὕλης συντετήκασιν ». Vividum hunc dicendi modum imitatus esse videtur Theodoretus, Adv. Gr. I, p. 477 : « μόνοις γὰρ τοῖς ὁρατοῖς συντετήκατε ».

mundi elementa sine opifice movebuntur, ἥ τε ναῦς καθ᾽ ἑαυτὴν οὐ πλευσεῖται τά τε στοιχεῖα χωρὶς τοῦ δημιουργοῦ οὐ κινηθήσεται. »

Illa igitur vehementi eademque imaginibus illustrata conclusione conficit Athenagoras eruditissimum hoc caput, ubi praesertim verus Deus immutabilis proclamatur, ac simul densissima octo superiora, quae ethnicos deos variis modis, ob gravissimam Dei materiaeque distinctionem, evertunt (Cap. 22).

*
* *

Tunc Athenagoras ad illam objectionem revertitur, quam multo antea, ineunte capite 18°, memoraverat eamque distulerat ut prius de Deo in universum dissereret; quam nunc in ipso imperatorum ore vivide ponit : « Si dii non sunt, quomodo igitur simulacra quaedam operantur?... » Hoc autem in nonnullis locis evenire a christianis viris non negari confessus [1], qui sint illi qui sic in simulacris operantur (daemones scilicet), e philosophorum testimoniis ostendere sibi esse necessarium declarat.

Thalem enim, primum qui de caelestibus disputavit rebus, deum, daemones, heroas distinxisse, Plutarcho paene ad verbum relato [2], commemorat apologeta. Et *Plato* deum, sidera daemonesque profitetur; daemones autem unde orti sint scire et dicere, hoc Graecus philosophus, in Timaei loco quem fuse refert Noster [3], humanas superare vires ait, lepideque et subridenti similis addit de hoc ideo confidendum esse antiquis illis

1. De hoc vide Justinum Apol. II, 5, Tatianum c. 18, Tertullianum Apolog. c. 22. Minucium Felicem c. 27, S. Cyprianum, De idolor. vanit. c. 4, Lactantium II, c. 15, Eusebium Praep. Euang., V, c. 2, Irenaeum l. II, c. 31. § 2, S. Augustinum, Epist. 49, ad Deogratias. Plerique obesse daemones, non prodesse posse admittunt. Cf. Maranum, ap. *Migne*, p. 941, n. 10.

2. De Plac. Philos., I, c. 8.

3. Tim. p. 40 d, e. Idem locus postea citatus est a Clemente Alex., Strom., V, c. 13, § 85, et ab Eusebio, Praep. Euang., II, c. 7; XIII, c. 1 et 14.

hominibus qui, sine verisimili quidem argumento, semetipsos a diis originem traxisse asserant, quod de suis domesticis rebus bene, ut mos est, docti esse debeant. — Sed, exclamat haud sine eloquentia, loco tamen infeliciter truncato Athenagoras, num ille qui aeternum Deum ejusque attributa explicavit [1], reipsa censuit praeter suas esse vires verum nosse de daemonibus, qui e sensibilibus elementis orti esse ferebantur? Deos quidem gigni et generare neque existimare nec vulgus dedocere quibat.

Namque sic in Phaedro [2] « Magnum regem Jovem... quem deorum et daemonum exercitus sequitur » idem depinxit philosophus. Nempe hoc nomine, cum vulgare nullum aliud in promptu haberet, eum omnium rerum creatorem significavit, Magnum appellando, ut caelestem deum a terrestri, ingenitum a genito, aeternum a juniore quam caelum et terra, juniore etiam quam Cretenses, qui Jovem olim abdiderunt, secerneret.

Quanta igitur huic Deprecationis parti praesit dialectica, nunc omnibus obversari spero : in eo tamen capite, quod latius quoque patet, apologeta noster aliquatenus a proposito digredi videtur; qui, dum philosophorum de daemonibus doctrinas percenset, veram Platonis de uno Deo sententiam, quam supra jam exponere inceperat [3], hic simul explevit (Cap. 23).

Si igitur non deos, sed deum ac daemones agnoscunt haud pauci ethnici philosophi atque poetae, de quibus commonere doctissimos principes supervacuum est, cur exagita-

1. Ad hoc monstrandum utitur Athenagoras difficillimo loco Pseudoplatonis epistulae 2, p. 312 c, quem Platonis esse credit, et is jam a Justino Apol. 1, c. 60, citatus erat, quem hic suo more e Sacra Scriptura imitatum esse Platonem existimabat. Idem a Clemente Alex., Eusebio aliisque laudatus est. Cf. *Otto*, p. 120, n. 26.

2. P. 246 e. Eumdem locum citat, c. 31, incertus Cohort. ad Graecos scriptor (Migne, *Patr. Gr.*, t. VI, p. 297), qui eum a Platone ex Ezechiele ductum esse putat.

3. Capite 6.

rentur christiani viri, qui unum Deum in trina persona (hic firma brevitate Sanctam Trinitatem iterum colligit scriptor) necnon daemones praedicant[1]? His vero secundis potestatibus praeest quaedam, diabolus scilicet, qui quantum et quomodo et quatenus Deo contrarius sit, egregia subtilitate ostendit Noster[2]. Cujus enim mundi universam exercet providentiam Deus, singulis ejusdem partibus, rerum initio, praefecti erant angeli, τὴν μὲν παντελικὴν[3] καὶ γενικὴν (generalem) ὁ θεὸς ἔχων τῶν ὅλων πρόνοιαν, τὴν δὲ ἐπὶ μέρους οἱ ἐπ' αὐτοῖς ταχθέντες ἄγγελοι.[4]. Haud secus autem atque hominum, quibus utuntur imperatores, nonnulli, libertate sua abusi[5], commissa sibi munera deserunt, sic angelorum violenti plures, inter quos materiae princeps, rebus traditis defuerunt aut in virginum cupiditatem cecidere et carne domiti sunt, εἰς ἐπιθυμίαν πεσόντες παρθένων καὶ ἥττους σαρκὸς (ad verbum, inferiores carne) εὑρεθέντες[6]. Inde geniti sunt qui vocantur gigantes. Cur vero de gigantibus aliquis apud ethnicos ipsos poetas sermo sit, non mirandum, prop-

1. Praecipuam hujus initii sententiam jam operis principio, cap. 1° et alias reperimus. — Cur *Schwartz* οὐκ. p. 31, v. 17 addiderit, non intellego. Cf. *Otto* p. 123. n. 3. Ab utroque contra suppleta verba v. 20 « διαιρούμενα δὲ κατὰ τάξιν » (praeterea εἰς a Schwartz superadditum) manifesta mihi videntur. — In hac S. Trinitatis summa (v. 19-22) videtur Athenagoras eadem imagine, mutatis tamen verbis, ad Spiritus generationem exprimendam usus esse ac prius, p. 11. v. 17-18. Cf. supra nostras in caput 10um notas.

2. De proprio verbi συμβεβηκός sensu (p. 31, v. 28), quem theologi nonnulli XVII° seculo non intellexerunt, vide Marani notam, ap. *Migne*, p. 946, n. 34 et infra, 1ª Appendice, p. 126.

3. Hanc vocem παντελικός (universalis) paene solus adhibuisse videtur Athenagoras, cum ab Henrico Stephano constructus idemque a Carolo *Hase* editus Thesaurus Graecae Linguae ea praeter Nostrum usum esse neminem declaret nisi Methodium et Epiphanium, qui hocce Athenagorae caput, ut ineunte 1° nostro capite explicavimus, retulerunt.

4. Non ideo singulas res neglegere hic Deum significavisse Athenagoram ex ipsius *De Resurrectione* libro c. 18 explicat Maranus (p. 947, n. 37). — Haud multum discrepare hanc opinionem a Platonis in Timaeo sententia animadvertit *Otto*, p. 128, n. 21. — Hic diligenter explicat Noster quod de angelis exeunte capite 10, p. 11, v. 21-26 tantum collegerat.

5. Sic humanam libertatem liquido asserit Athenagoras.

6. Egregium illum dicendi modum, quem haud semel adhibebit, noster scriptor a Justino eamdem materiam tractante est imitatus : γυναικῶν μίξεσιν ἡττήθησαν (Apol. II, c. 5).

terea quod, materiae principe auctore, mendacium, ut quidam Hesiodi testatur versus [1], veritatem imitandi peritum est.

Media autem de angelorum lapsu expositione, aliquo timore affectus Athenagoras ne ficta exprimere videretur, in parenthesi quadam hoc interponendum curaverat : « Scitis autem nihil nos sine testibus dicere, sed quae a prophetis praedicata sunt exponere. Ἴστε δὲ μηδὲν ἡμᾶς ἀμάρτυρον λέγειν, ἃ δὲ τοῖς προφήταις ἐκπεφώνηται μηνύειν [2] ». Illic vero VIº Genesis capiti non dubie alludit, ubi « *filios Dei* filias hominum, quod essent pulchrae, accepisse sibi uxores » Moyses narrat, idemque « gigantas » qui « erant super terram in diebus illis » ab illa consuetudine ortos esse eloqui videtur [3]. At quos tantum « filios Dei » sacer scriptor appellavit, ab apologeta nostro angeli ii esse ducuntur : ad istam quidem carnalem angelorum commixtionem eo magis stupemus, quod purae mentes angeli a nobis nunc solent haberi. Hanc vero interpretationem Athenagoras a magistro suo Justino acceperat. Justinus autem, qui eam in secunda sua exponit Apologia (cap. 5), a Philone [4] et Josepho [5] superiore seculo traditam sibi adsciverat, veterrimam quidem et Hebraeis consuetam, qui subtile quoddam corpus angelis tribuebant. Scilicet talem conjecturam omnes antenicaeni Patres (excepto tantum Julio Africano) secuti sunt [6] : quam posterius ut errorem omisit Ecclesia [7]. — Praeterea Justini solita vestigia premit Noster, dum, diabolo auctore, Gigantas ab ethnicis poetis celebratos esse asserit [8].

1. Theog. 27. De hoc versu et aliis huic simillimis, vide *Otto*, p. 131, n. 28' et *Schubring*, p. 22, n. 2.

2. P. 32, v. 21-22.

3. Versus 2-4.

4. *De Gigantibus.*

5. I *Antiq.*, ap. Maranum (*Migne*, p. 451, n. 89). — Cf. quoque Justini Apol. I, c. 5.

6. V. *Otto*, p. 130, n. 24. Sic Sanctus Methodius, de quo infra.

7. V. *Le Nourry*, p. 492 A; *dom Ceillier*, p. 119; *presbyter Blanc*, p. 190, etc. (De his omnibus cf. nostrum Indicem, I, *1703*, *1730*, *1847*.)

8. Hanc constat unam fuisse e Justini sententiis, quam potissimum urgebat,

Hoc ergo caput, quod et angelorum munus et daemonum cum originem tum naturam summa industria explicare tentat, plerumque a Sancto Methodio, illo Olympi in Lycia episcopo, circa exiens III[um] seculum, apud Epiphanium et Photium allatum esse, modo verbotenus transcriptum modo liberius memoratum [1], jam nos supra, II° nostro capite, vidimus. Nempe is est solus Athenagorae locus qui hactenus repertus sit apud christianos scriptores citatus (Cap. 24).

Proximo autem capite, quid agant variis modis daemones, quomodo eam in mundum confusionem inferant ut nonnulli interdum de Providentia dubitare potuerint, egregie ostendit noster apologeta. Etenim pravos angelos et daemones, hae sunt gigantum animae (in quo supra relatam suam opinionem assequi pergit), coepit distinguere : hos naturae ei similes motus injicere quam acceperint, illos cupiditatibus iis similes motus, quas ipsi senserint, atque ipsum materiae principem contrariam Dei gloriae procurationem exercere. Istarum vero rerum spectaculum Euripidem incitavit ut in quibusdam, hic citatis, fragmentorum versibus quaereret nonne fortuna humanis praesit rebus [2], fecitque ut Aristoteles in libro De Mundo inscripto dixerit terram et terrena, utpote inferiora, nulla regi providentia [3]. Tum duplicem illum et contrarium motum, divinum scilicet et diabolicum, quo mundus et homines in diversas partes aguntur, longissimo aptissimoque verborum circuitu comprehendit, cujus haec est nihil nisi summa aut potius umbra : « Quia daemoniacae operationes inordinatos

paganos viros vera quaedam, a daemonibus instinctos, invenisse. De illo Athenagorae loco cf. *Schubring*, p. 22.

1. Sic, quae ab Athenagora de omnibus angelis dicuntur, ea omnia hic ad unum retulit diabolum.

2. Fragm. 901 et adesp. 99. Cf. simillimum Claudiani locum apud *Otto*, p. 133, n. 5.

3. Caput 6.

impetus adducunt et humanas mentes, materiae simul participes easdemque cum divina natura cognatas (κατὰ τὸν τῆς ὕλης λόγον καὶ τῆς πρὸς τὰ θεῖα συμπαθείας), permultis viis in contraria trahunt, propterea censuerunt nonnulli, quorum haud leves sunt sententiae, nullo ordine universum temperari, nescientes quaecumque ad totius mundi constitutionem attinent, earum rerum quamque ratione fieri, hominem autem ex altera parte in his quae ad ortus sui naturam aut corporis formationem aut vitae exitum spectant creatori suo parere, ex altera in ceteris rebus e ratione sua daemonumque operatione pendere, ut alius aliter agi et moveri soleat, quanquam omnibus inest ratiocinandi facultas ».

Illa vero difficillima expositio, in qua theologica gravitas atque philosophica subtilitas eximie quasi conjurant, ut notatae in mundo confusionis perspicua reddatur ratio, a nonnullis Justini doctrinae locis sane primam originem duxisse potest, at tota haec singularum rerum explicatio jure Athenagorae videtur esse tribuenda (Cap. 25).

Itaque Noster eo tandem quo jamdudum tendebat[1] adductus est, ut aperiret quo pacto ethnica signa portentosa quaedam operarentur. Dii scilicet, quibus haec signa sunt dedicata, tantummodo homines fuerunt, ut rerum historia refert; itaque ad idola vulgus a nemine nisi a supra dictis daemonibus allicitur quod duplici probatur argumento : prius enim qui talia signa adorant, sua ipsi corpora truncare aut vulnerare aut verberare solent[2], at « non dei est ad naturae contraria impellere, οὐ γὰρ θεοῦ κινεῖν ἐπὶ τὰ παρὰ φύσιν[3] ». — Ex his credas Athenagoram non extrema illa comprobare quae jam a quibusdam christianis quoque viris, sincera fide, admit-

1. Ut constat ineuntibus 18 et 23 capitibus.
2. Haec potissimum ex Ovidio (Fast. III, Trist. IV...) describi videntur.
3. P. 35, v. 5.

tebantur (attamen infra spadonatum commendabit[1]), neque hic perspexisse videtur, quod contra paganos objicit deos, idem contra suum Deum retorqueri posse.

Magis vero viget, quin etiam maxime apud aequales, apud Marcum Aurelium imperatorem ipsum valere debuit posterius argumentum, e novissimis rebus desumptum : exempla enim profert Athenagoras quaedam signa recentiorum ullius religionis conditorum, quorum cultus in Oriente, tunc superstitionibus tam vehementer corrupto[2], summe florebat aut potius furebat : nempe *Nerullini*, qui « nostra, inquit, vixit aetate »[3], simulacrum illud commemorat, quod Troade oracula reddere aegrotosque sanare reputabatur, simul signa Parii fundata, Protaei scilicet *Peregrini*, quem nemo tunc nesciebat nuper circa Olympiam se in ignem injecisse[4], atque *Alexandri*, cui tanquam deo publica sacrificia festaque agi solebant. Hic autem sine dubio est Alexander Abonoticus, audacissimus ille circulator, qui, Abonotici in Paphlagonia, vivo implexus serpente, semetipsum Glyconem deum praedicans, plurima Aesculapii ediderat oracula; dein, Romam arcessitus, tantam ibi famam inter optimates, vel intimos principis ipsius convictores obtinuerat ut vir consularis quidam, annos sexaginta natus, sibi amplissimum esse reputaverit uxorem ducere eam filiam quam vafer iste e Luna habuisse contenderet; immo vero, dum magnum adversus Pannonios bellum agitabatur, eodem Alexandro auctore, Marcus ipse Aurelius, solitae sapientiae oblitus, duos leones in Istrum vivos demergi jussit[5]. Cujus

1. Cap. 33. quod nostro IV° capite perpendemus. Vide illic nostram de spadonatu notam.

2. Futurum explorandi 80 modos tunc adhibitos esse docet *Marquardt* (Handbuch der römischen Alterthums, t. IV, p. 99-130).

3. « Ὁ ἀνὴρ τῶν καθ' ἡμᾶς » (p. 35, v. 10). — De hoc Nerullino vide *Renan*, t. VI, p. 430. — Quis ille esset, anno 1857 etiamtum nesciebat *Otto*.

4. Vide *Luciani* Περὶ Περεγρίνου τελευτῆς.

5. Vide *Luciani*, qui tunc e paucissimis tales ineptias illusit, Ἀλέξανδρος ἢ

tumulum signumque, in Parii agora condita, publico affici cultu docet Athenagoras. Illa autem miracula quae Nerullini et Protaei et Alexandri simulacris perpetrantur, quomodo fiunt? Prius ea non ipsos viros agere ostendit apologeta, cum, hi viri dum etiamnum vivunt, immo dum aegrotant, eorum signa sanent aegros. Dein hoc efficere simulacrorum materia nequit; nam quid aes per se potest, quod quidem rursus aliam in figuram, si libet, diffingitur, velut pelluvia[1] illa quam in deum refingendam curavisse regem Amasim refert Herodotus[2]? — Haud aliud quidem salsa sua brevitate enuntiavit argutus noster fabulator *La Fontaine* :

Un bloc de marbre était si beau
Qu'un statuaire en fit l'emplette.
« Qu'en fera, dit-il, mon ciseau?
Sera-t-il dieu, table ou cuvette?...[3] »

Ergo, ut concludit Athenagoras, haec portentosa soli daemones operari possunt[4] (Cap. 26).

Quomodo igitur illud fit? Id pressiore quidem et nobis subobscura animi motuum descriptione explicare tentat Noster, quam postvenientes Patres, Tertullianus, Eusebius, Cyprianus et alii secuti esse, quamvis strictim, videntur[5]. Ex Athenagora quidem, primo a ratione alieni et imaginarii animi motus, *αἱ τῆς ψυχῆς ἄλογοι καὶ ἰνδαλματώδεις κινήσεις* homines impellunt ut idola fabricentur, dein visa quaedam cum insano idolorum

ψευδόμαντις; *Otto*, p. 140, n. 12, 2°; *Renan*, t. VI, p. 428-430 et 357, n. 3, et t. VII, p. 48-51.

Quam facile et immerito hoc seculo vivis hominibus statuae ponerentur, vide, apud Plinium Juniorem, de philosopho Flavio Archippo, Epist., X, 68.

1. Scilicet pelvis ad lavandos pedes, vox a Festo usurpata, Graece ποδονιπτήρ.
2. L. II, c. 172.
3. *Le Statuaire et la Statue de Jupiter* (l. IX, fab. 6).
4. In hoc fine, Athenagorae argumentationem vividam quidem, at leviter siccam, paululum, quo facilius intellegatur, extendimus.
5. Vide Maranum, p. 953, n. 58. — Hic discedere videtur Athenagoras a Justino, qui daemones vere sanare negat, sed solum confitetur ab iis morbos quos inflixerant auferri; de hac re legas *Otto*, p. 116, n. 3.

amore, εἰδωλομανεῖς φαντασίας pariunt : haec autem visa perficiuntur a daemonibus circa victimas oberrantibus, qui in teneriores firmaeque doctrinae expertes animos[1] tanquam e simulacris immittuntur, ita ut, quidquid boni excogitat animus, utpote immortalis, sive ad futurum praedicendum sive ad praesentia curanda, hujus gloriam percipiant daemones.

In hac suprema quidem explicatione, quam quattuor prioribus accuratissime paraverat capitibus, animadvertamus quantum apud christianum theologum emineat philosophia, quippe non diversos animi motus a daemonibus effici, sed daemones illis tantummodo uti ostendit, et, ut nunc philosophico nostro sermone loquimur, siquidem *priores causas* profitetur, *secundas* attendit, nec minus callidus arcanorum animi indagator quam doctus theologiae interpres evadit (Cap. 27).

*
* *

Tum Athenagoras, postquam tanta industria deorum signis effectam operationem explicare nisus est, ad ipsa deorum nomina redit, unde aliquid lucis in illorum originem emissum iri jure sentit. Jam illa esse recentiora, utpote ab Orpheo et Homero et Hesiodo diis imposita, ineunte capite 17° breviter asseveraverat; nunc Graecos deos ex Aegyptiis diis ortos esse constituere tentat : Aegyptios autem deos nihil esse nisi homines, pristinos scilicet hujusce gentis reges, sicut coram Herodoto et Alexandro Magno confessi sunt ipsi Aegyptii sacerdotes, qui rerum historiam cum sacerdotio inter se a stirpe tradere solebant, citatis Herodoti plurimis locis, Noster ostendit[2].

1. Athenagoras sedulam hujusmodi animorum descriptionem facit, ubi patet eum, verum Platonis discipulum, philosophia fidere, quae homines contra errorem, contra scilicet daemones defendat.

2. Herodoti II° libro nititur et Alexandri ad matrem Epistula : exstitisse talem epistulam, testante Plutarcho, docet Otto, p. 145, n. 2, sed eam ad quam

Hic ceterum rerum scriptor illud non solus refert, sed etiam, praeter Alexandrum, deus ipse, Hermes ille Trismegistus cognomine, qui in opere sacro his in terris a se relicto veterum Aegypti regum genus conscripsit (hoc neminem fugit haud sine ironia dici), et Apollodorus, Atheniensis quidam grammaticus qui II° ante Christum natum seculo floruit, et sexcenti alii, καὶ ἄλλοι μυρίοι. Praeterea idem probant Aegyptiorum sapientissimi viri, Αἰγυπτίων οἱ λογιώτατοι, qui deos colunt aethera, terram, solem, lunam, at ceteros deos mortales esse homines templaque eorum *sepulcra* existimant [1]. Depingit quoque Herodotus Aegyptiorum mysteria, sive deorum *passiones*, τὰ παθήματα, cum ea quae vivi passi sunt commemorantur, quales Isidis et Osiridis [2]. Immo Osiridis hujus non solum sepulcrum ostenditur, verum etiam ταριχεία (seu locus ubi mortui condiri solent) : hic ejus ligneum pictumque exemplar in mumiae [3] formam videre est. Perspicua igitur, quam omisit Athenagoras, conclusio : Quorum humana a suis sacerdotibus ipsis narratur historia, — quorum sepulcra coluntur celebranturque passiones, illi nequeunt esse dii.

Hoc quidem doctissimo eodemque latissimo capite, quod tamen non solitus ordo commendat neque sobrietas [4], minime suspicari videtur Noster argumentorum suorum ultima quaeque contra ipsum posse quodam modo refelli, cum Deum, hominem factum, et reipsa passum ac mortuum ipse profi-

Patres provocant falsam esse. — Ceterum non Thebis Alexander, ut refert Athenagoras, sacerdotes audivit, quippe qui non ultra Memphim procedere potuerit (apud Jablonski, *Panth. Aegypt.*, a Lindner citatum, *Otto*, p. 145, n. 2).

1. De hoc Athenagorae loco, animadvertit Kortholtus (vide nostrum Indicem, II) ipsismet Gentilibus nonnullis templa fuisse pro bustis habita, testibus Lycophrone, Vergilio in Aen., IV, 457, Claudiano, etc... (p. 427-428).

2. Jam sub 22^i capitis finem edisseruerat Athenagoras quae significatio horum amborum cultui a nonnullis tribueretur (Vide supra).

3. Hoc novum verbum, eruditissimi *Otto* exemplo, p. 152, n. 49, adhibere mihi liceat.

4. Semel tamen inter plura veterum scriptorum exempla emicant quaedam breviter arguteque dicta, ut Noster solet, p. 38, v. 12 et 13 : « Εἰ θεοί, καὶ ἀθάνατοι, εἰ δὲ τύπτονται καὶ τὰ πάθη ἐστὶν αὐτῶν μυστήρια, ἄνθρωποι ».

teatur christianaque mysteria vera Christi παθήματα merito appellari possint (Cap. 28).

Hanc vero humanam deorum originem magni quoque Graeciae viri imprudentes testantur[1], quippe Heraclem, Aesculapium, Jovem vel interfectores esse vel pecunia corrumpi vel mori referunt Homerus, Hesiodus, Pindarus, Euripides. « Aut igitur dii erant, ut pressis verbis addit argumentator, nec quidquam humani erga aurum sentiebant, nec moriebantur; aut homines facti, improbi ob inscitiam erant[2] avaritiaeque impares. Ἢ τοίνυν θεοὶ ἦσαν, καὶ οὔτε ἀνθρωπίνως πρὸς χρυσὸν εἶχον...[3] οὔτε ἀπέθνῃσκον· ἢ ἄνθρωποι γεγονότες καὶ πονηροὶ δι' ἀμαθίαν ἦσαν καὶ χρημάτων ἐλάττους[4]. » Ceterum quid opus est plurimos illos commemorare qui, nuperrime [5] homines ex hominibus nati, pro diis habentur, quales Castor et Pollux, Amphiaraus, aut Ino ejusque filius Melicertes, qui sub Leucotheae et Palaemonis nomine dii nunc celebrantur[6]?

Hoc autem capite, quod partim in 21[i] capitis materiem redit, validius ethnicorum deorum humanam originem probare, celeberrimam Evhemeri rationem secutus, sibi proponit Athenagoras (Cap. 29).

Ultra progreditur Noster et supremo Legationis prioris hujusce partis capite varios modos indicat, quibus homines dii haberi solent : aliis id evenit propter *imperium* quod exer-

1. Vicissim qui soluta oratione utuntur scriptores (philosophos vel historicos) ac poetas recensere solet Athenagoras : hos merito indagat, qui apud Graecos veri religionis praeceptores habendi sunt.

2. Hic rursus discipulus Platonis liquido apparet.

3. Hic interpositi de auro versus mihi quidem a lectore quodam additi esse videntur.

4. Jam simillimum, simplicem ac validum dicendi modum « ἥττους σαρκός » de pravis angelis, cap. 24, inventum mirati sumus. Cf. supra in hocce capite : « κρεῖττον ἐπιθυμίας τὸ θεῖον ».

5. Hic verbo quodam pervagato, jam a Justino usurpato utitur Noster : « χθὲς καὶ πρώην », heri et nudiustertius, id est nuperrime.

6. Horum numinum tria ultima in Boeotia, prope Atticam, ubi vivebat Athenagoras, percoli animadvertendum est.

cent, qualis regina Semiramis, quae, etsi lasciva cruentaque mulier, Syra dea facta est. Quamdam vero hic temeritatem prae se ferre videtur Athenagoras : nonne enim est eadem causa cur Romani principes ipsi, cum vivi tum mortui, sicut dii adorentur? Alterius exempli gratia, Saturnum, Terram et Caelum citat, qui nihil nisi primi reges inter mortales fuere, Sibyllinis nisus libris, quos jam a Platone[1] relatos contendit, iisque, ut ceteri Patres, utitur, nedum illorum recentissimam et fraudulentam suspicetur novitatem[2]. — Ob *robur* alii, ut Hercules et Perseus, divinos consecuti sunt honores; alii, ut Aesculapius, propter eam quam exercebant *artem*; tales autem honores ut illis tribuerent, *metu* adducti erant principes, *reverentia* subditi : tum eo dicendi libertatem redigit scriptor ut, Justini Tatianique exemplo, Marco Aurelio Commodoque breviter quidem et comiter commemoret insaniam illam antecessorum Hadriani et Antonini, qui vix mortui juvenis, Antinoi nomine, cultum Aegyptiis imposuerunt[3]. — Qui autem postveniunt, ut addit Athenagoras, tales cultus inconsulto, ἀβασανίστως, susceperunt[4].

Attamen quidam verum a falso in deorum historia discernere voluerunt, ut Callimachus qui composito in Jovem hymno hujus quidem ortum admittit, mortem autem respuit. « At, —

1. In Phaedro, p. 244, b.

2. Confer qua fiducia haec sibyllina dicta vaticinia citet ignotus scriptor ad Graecos Cohortationis, quondam Justino attributae, cap. 37 et 38 (*Migne*, Patr. Gr., t. VI, p. 305-310). Ibidem (p. 309, n. 69) Maranus animadvertit Sibyllinorum librorum fabricatorem eo majorem apud christianos viros obtinuisse auctoritatem quod veteribus Sibyllae oraculis aliquid de venturo Christo praedictum esse videbatur. Plato vero Sibyllae meminit, ut ait Athenagoras, sed ob optimam omnium causam Sibyllina carmina citare abstinet. — Eumdem sibyllinum locum ac Noster Latine refert Tertullianus *Ad Nation.* II, c. 12, vide *Otto*, p. 157, n. 7.

3. Hujus recentioris cultus argumento usi sunt permulti christiani apologetae, inter quos Justinus, Apol. I, 29, et Tatianus. Adv. Gr. 10. — Cf. *Renan*, t. VI, p. 43.

4. Per hoc verbum ἀβασανίστως scriptorem a priore ad posteriorem capitis partem transire patet.

ut colligit Noster, dilemmate cui favet usus, — aut falsa sunt quae a vulgo et poetis feruntur atque inutilis erga eos pietas (nam non sunt quorum mentiuntur praedicatores), aut si veri ortus, amores, homicidia, furta, virilium exsectiones, fulmina, jam non sunt, cum esse desierunt, si quidem sunt nati, cum antea non essent. Ἢ γὰρ ἄπιστοι οἱ ὑπὸ τῶν πολλῶν καὶ ποιητῶν λεγόμενοι μῦθοι περὶ τῶν θεῶν καὶ περισσὴ ἡ περὶ αὐτοὺς εὐσέβεια (οὐ γὰρ εἰσὶν ὧν ψευδεῖς οἱ λόγοι), ἢ εἰ ἀληθεῖς αἱ γενέσεις, οἱ ἔρωτες, αἱ μιαιφονίαι, αἱ κλοπαὶ, αἱ ἐκτομαὶ, οἱ κεραυνοὶ, οὐκέτ' εἰσὶν, παυσάμενοι εἶναι, ἐπεὶ καὶ ἐγένοντο οὐκ ὄντες. » Ceterum nulla est causa cur apud poetas praetermittantur quaedam, quippe qui ad maximam diis conciliandam reverentiam eorum res scripserint[1] humanosque dolores narraverint, haud mentiti, sed veritatis vi instincti. — Haec tota acerrima eademque doctissima argumentatio non est sine ullo mendo, nam poetae facillime imprudentes, non mendaces falso quaedam tradita de diis referre potuerunt, haud alio modo ac si quid dubium de uno et vero Deo relatum fuisset, hunc Deum non esse nihil idcirco probaretur (Cap. 30).

*
* *

Haec est igitur prior eademque praecipua Apologiae pars, atheismi scilicet criminis refutatio, quam ab Athenagora, etiamsi quaedam a Justino mutuatus est[2], attentiore cura quam ab ullo alio apologeta deductam esse jam dixi. Namque prae ceteris doctissima est et rerum plenissima. Noster quidem non sat habet, id quod haud difficillimum videtur, christianos viros non atheos esse probare, verum etiam qualem prorsus Deum fratres ado-

1. Jam eamdem sententiam de Aegyptiis sacerdotibus paulo supra expresserat scriptor, c. 28, p. 37, v. 18 et 19.
2. Fortasse a Tatiano quaedam alia, si quidem hic ante Nostrum scripsit.

rent qualesque ethnicos deos deserant et cur sic agant, per singula ostendit. Dei enim unitatem, Sanctam Trinitatem, Dei et materiae distinctionem, de daemonibus doctrinam ut vicissim exponeret et constitueret, tota mente incubuit; nec minus in gentili versatus disciplina, clarissimos Graeciae scriptores, tum illos qui soluta usi sunt oratione, tum poetas (at non Romanos, ut videtur) penitus novit, neque ullo modo varias philosophorum rationes, potissimum Platonis ignorat, et Graecorum Aegyptiorumque deos cum horum initio et genere et nominibus cognitos habet, atque de eorum simulacrorum artificibus portentosaque potestate bene est eruditus, adeo ut cum theologia tum philosophia, et fabulis et poetica, et litteris et artibus pariter instructus imbutusque christianae fidei defensionem adortus sit.

Quibus permultis ac plerumque firmissimis opibus utitur sine ulla animi jactantia, ut palam significatur simplicitate horumce verborum, quibus plenissima triginta illa colligit capita : « Nos igitur non atheos esse, qui Deum agnoscamus hujus universi creatorem ejusque Verbum, pro viribus meis, si non pro rei dignitate demonstratum est. Ὡς... οὖν οὐκ ἐσμὲν ἄθεοι θεὸν ἄγοντες τὸν ποιητὴν τοῦδε τοῦ παντὸς καὶ τὸν παρ᾽αὐτοῦ λόγον, κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν, εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀξίαν, ἐλήλεγκται[1] ».

1. Supremi capitis 30 versus, p. 41, v. 13-15.

CAPUT IV

Apologiae secunda pars tertiaque morales (*illicitarum consuetudinum* et *humanae carnis absumptionis* crimina refutata) expenduntur.

De utroque crimine exordium, cap. 31.
De illicitis consuetudinibus. c. 32-34 (De matrimonio, praesertim de secundis nuptiis, c. 33).
De humanae carnis absumptione, c. 35 et 36.
Totius Apologiae peroratio, c. 37.

Apologiae suae ineunte demum capite 31° adiit Athenagoras reliqua ambo crimina christianis viris illata, quae ad eorum mores pertinebant, videlicet e secretis eorum conventibus occultisque mysteriis, ut fit, nata, id est humanae carnis absumptionem et illicitas consuetudines, aut, ut hic brevidus ait ipse, τροφὰς καὶ μίξεις. Secreta quidem criminantium proposita postquam eximio aperuit investigandi acumine, crimina ipsa iterum refert divinae illi legi qua vitio cum virtute perpetuo pugnatur[1] : hanc enim testantur infelici sorte sua Pythagoras et Heraclitus et Democritus et Socrates, quos, Justini vestigia secutus, Christianorum in injusta patiendo quasi majores Noster vindicat[2]. Tunc non sine quadam ferocia[3] ita concludit : « Sed quemadmodum illi, quantum ad virtutem

1. Jam de iisdem criminibus hanc legem expresserat cap. 3, p. 4, v. 25-26.
2. De trium primorum fortuna lege *Otto*, p. 162, n. 6.
3. Ferociam illam usque eo adigit ut qui vitam ad Deum tanquam ad normam derigant, illos ne cogitationem quidem levissimi peccati admissuros esse affirmet, p. 42, v. 2.

attinet, nihilo deteriores ob vulgi opinionem fuerunt, sic non magis nos, quod ad rectam vitae rationem spectat, inquinant judicii expertes nonnullorum calumniae : *bene enim apud Deum audimus.* Ἀλλ' ὡς ἐκεῖνοι οὐδὲν χείρους εἰς ἀρετῆς λόγον διὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν, οὐδ' ἡμῖν οὐδὲν ἐπισκοτεῖ πρὸς ὀρθότητα βίου ἡ παρά τινων ἄκριτος βλασφημία· εὐδοξοῦμεν γὰρ παρὰ τῷ θεῷ [1] ».

Attamen illis quoque exprobrationibus respondebit Athenagoras. Quod munus illico explere coepit, dum animi immortalitatis doctrinam, quae apud Christianos valet, cum duplici seu praemii seu poenae aeternitate aptissime explicat [2] : illi vero qui ullam post mortem vitam esse negant (Epicureos omnino designare videtur), non mirum est si carni vel sanguini inserviant [3], sed nos, parum verisimile nosmetipsos puniendos lubenter magno tradituros esse Judici [4] (Cap. 31).

I

Post hoc universum dicendi exordium, quod ad ambo crimina in christianos mores intenta aeque pertinet, horum prius magis propriis Athenagoras lacessit argumentis, illicitarum scilicet consuetudinum exprobrationem, cui nimirum materiam

1. P. 41, v. 26-29. Hac suprema eademque brevi sententia Justinum, ut solet, validius strinxisse mihi videtur Noster : in Secundae enim Apologiae capite 12, ubi de iisdem criminibus disputatur, legas : « ὧν ἐπειδὴ οὐδὲν πρόσεστιν ἡμῖν, οὐ φροντίζομεν, Θεὸν τὸν ἀγέννητον καὶ ἄρρητον μάρτυρα ἔχοντες τῶν τε λογισμῶν καὶ τῶν πράξεων. » Et infra : « Ἀλλ' οὐ φροντίζομεν, ἐπεὶ Θεὸν τῶν πάντων ἐπόπτην δίκαιον οἴδαμεν » (*Migne*, Patr. Gr. VI, p. 464 B, et 465 A).

2. Hoc agit ordinata verborum comprehensione, quae 15 versibus continetur, p. 42, v. 3-17, εἰ μὲν γὰρ... δικαστῇ. Hic inter alia jam declarat nos in caelo corpus habituros esse (κἂν ἔχωμεν..., v. 12), de quo latius disseret in libello *De Resurrectione mortuorum* inscripto.

3. « Δουλεύοντας σαρκὶ καὶ αἵματι ἢ κέρδους ἢ ἐπιθυμίας ἐλάττους γενομένους », p. 42, v. 4 et 5. Validis his vocibus, quae cupiditates quasi tyrannos fingunt, usque utitur Athenagoras.

4. Utraque capitis parte comiter affirmat imperatores de rebus quas asserit esse doctos (p. 41, v. 19, et 31 sqq.).

praebebat tenerrimus ille amor, quem priscae aetatis christiani viri erga fratres suos habere ac pio *pacis osculo* dicto potissimum declarare solebant. Arguta igitur ironia animadvertere coepit Noster, istos quod ipsi Christianis vitio vertunt, idem tribuere diis suis, praecipue Jovi, qui cum matre, cum sorore, cum filia moechatus esse ab ipsorum poeta Orpheo refertur[1]. Nobis autem, inquit, ex ipsius Dei praeceptis (nam divina est doctrina nostra) ne oculis quidem concupiscere mulierem fas est, cum oculi modo ut lumen sint nostrum, sint formati[2]. Itaque socios nostros secundum aetatem filios ac filias, fratres ac sorores, aut patres ac matres habemus et vocamus cum summa corporum verecundia, sicut etiam indixit Verbum : hic affertur nunc ignota Christi vox, quae ab aliqua apocrypha scriptura vel ab aliquo vetere Euangelii commentario deprompta fuerit[3], eaque illos improbat qui bis propter delectationem osculantur, et maximam commendat in dando osculo[4] cautionem[5] (Cap. 32).

Tunc brevi, alto, severo capite exponit apologeta de mulieribus doctrinam, difficillimam sane materiam, quam strictim, sed penitus tractavit. Scilicet cupiditati, rigidius etiam quam

1. Quod sententiam attinet, cf. Justinum, II Apol., c. 12. — Jovem ab omnibus christianis apologetis, ut permultorum reum flagitiorum citatum esse consentaneum est. Eum jam Noster haud semel, ac potissimum capite 20°, sic in jus vocavit.

2. Ipsum dictum Montanae orationis, jam pluries Apologiae initio usurpatae, hic a Nostro, post Justinum (Apol., I, c. 15) citatum est (Matth. V, 28). — Quod Athenagoras de vera oculorum utilitate superaddit, ab Euangelio quoque esse haustum videtur, Matth. VI, 22-23, et Luc. XI, 34-36; hoc nemo hactenus, quod sciam, animadvertit.

3. Vide varias de hoc interpretum sententias ab *Otto* collectas, p. 169 n. 20.

4. Ac forsan in facienda prae sacerdotibus adgeniculatione (τὸ προσκύνημα). Vide de hoc apud *Otto* longam notam 23, p. 170.

5. Hic locus quosdam sive improbos sive voluntate infirmos viros hoc pio osculo abusos esse probat, quod testatur Clemens Alex. in Paedag. III, 11, § 81. Cf. Renan, *Origines*, t. VII, p. 65. Ceterum eo facilius a Romanis de hoc profecta est calumnia quod in erotica eorum dictione *frater* et *soror* de amatore et amica dici solebant, ut animadvertit Otto, p. 169, n. 18.

Justinus, modum imponit liberorum procreationem, « ἡμῖν μέτρον ἐπιθυμίας ἡ παιδοποιΐα[1] », et, adhibita verborum poetica translatione, Christianos declarat una in matrimonio muliere haud secus uti atque agricola qui, postquam in terram jecit semina, messem exspectat, nihil superinjiciens, « ὡς ὁ γεωργὸς καταβαλὼν εἰς γῆν τὰ σπέρματα ἄμητον περιμένει οὐκ ἐπισπείρων[2] ». Quin etiam nonnullos refert in virginitate aut in spadonatu consenescere quod sperant arctius se cum Deo sic conjunctum iri[3]. Nos igitur, qui nequitiae vel cogitationem fugimus, multo magis res ipsas turpes aversamur. Itaque secundis nuptiis, etiam priore uxore defuncta, abstinemus, « nam hoc speciosum est adulterium, ὁ γὰρ δεύτερος [γάμος] εὐπρεπής ἐστι μοιχεία », cum ab initio Deus unum virum unamque creaverit feminam[4] et duo in carne una esse statuerit[5].

1. P. 43, v. 25, et jam v. 24 : « γυναῖκα νομίζων μέχρι τοῦ παιδοποιήσασθαι ». Antea dixerat Justinus, Apol. I, c. 9 : « Οὐκ ἐγαμοῦμεν εἰ μὴ παίδων ἀνατροφῇ ».

2. Eamdem comparationem, non ut tam diligens praeceptum daret, cum eadem matrimonii legis definitione, postea resumpsit Clemens Alexandrinus, Paedag. II, c. 10, § 10 : « Τοῖς γεγαμηκόσι σκοπὸς ἡ παιδοποιΐα, τέλος δὲ ἡ εὐτεκνία, καθάπερ καὶ τῷ γεωργῷ τῆς τῶν σπερμάτων καταβολῆς αἰτία μὲν ἡ τῆς τροφῆς προμήθεια, τέλος δὲ αὐτῷ τῆς γεωργίας ἡ τῶν καρπῶν συγκομιδή ». — Cf. nostrum Sanctum Franciscum Salesium qui in libro *Introduction à la Vie dévote* inscripto maxime ardua consilia conjugibus dare potuit, dum conjugii voluptatem cum cibi voluptate comparat, cap. XXXIX, *De l'Honnesteté du lit nuptial*.

3. De spadonatu vide Justinum I Apol., c. 29; Tertullianum, De cultu fem. II, c. 9; Clementem Alexandr., Strom. III, p. 459 edit. Paris. (a Marano emendatus locus apud *Migne*, Patr. Gr., t. VI, p. 965, n. 1). Attamen Origenis eviratio, « etsi zelo fecisset Dei, sed non secundum scientiam », ut ait S. Hieronymus, ab Ecclesia improbata est. Hanc sententiam, Apostolorum canonibus 22 et 55 et concilii Nicaeensis canone 1 confirmatam, professi sunt S. Joannes Chrysostomus (Matth. 10), S. Ambrosius (De Viduis, c. 13), S. Augustinus (Contra Julianum. l. 6, c. 14), S. Basilius (De Vera Virginitate et Epist. 87 ad Simpliciam), ac postea S. Thomas; vide *Summam moralem doctrinae thomisticae circa 10 Decal. praecepta*, auctore Mayol, ap. Migne, *Cours complet de Théologie*, t. XIV, p. 598. Item « Ad spirituales fines non licere evirationem facere aut ei consentire » nunc docet Ecclesia, vide Leckmühl, *Theologia moralis*, Friburgi Brisgoviae, ap. Herder, ed. octava, vol. I, p. 348.

Supra animadvertimus quam incaute se gesserit Athenagoras, dum paganos deos ideo falsos esse declarat, quoniam eorum cultores se truncare solerent (Cap. 26).

4. Hic eximiam vocem adhibuit Noster de illo qui secundis indulget nuptiis : « παραβαίνων μὲν τὴν χεῖρα τοῦ θεοῦ, Dei manum transgrediens ».

5. Talis est nimirum extremae sententiae sensus, cujus incertus est textus et difficilior verbi ad verbum translatio : « λύων δὲ τὴν σάρκα πρὸς σάρκα κατὰ τὴν

Hoc est igitur celeberrimum illud caput quod causa fuit cur tot calami cucurrerint, sudaverint tot critici : nam de hac prorsus ardua re asperior adeo visus est Athenagoras ut nonnulli se immerito crediderint apud eum hic deprehendisse vestigia montanismi, quo matrimonium condemnatum esse constat[1]. Quod autem ad secundas nuptias pertinet, maximam cuique mirationem injecit apologetae judicium. At eumdem nimium animi rigorem, aut etiam majorem prae se tulisse plurimos alios, praesertim Graecos, Ecclesiae scriptores, ad Diognetum scilicet Epistulae auctorem, Theophilum, Irenaeum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Basilium, Joannem Chrysostomum, necnon Tertullianum et Minucium Felicem et Hieronymum primo animadvertendum est[2]. Ab universa Ecclesia quidem istiusmodi nuptiae nequaquam prohibebantur, sed qui iis indulgebant non tam solemnem plerumque accipiebant

ἕνωσιν πρὸς μῖξιν τοῦ γένους κοινωνίαν ». p. 44, v. 11-12. (Lege varias emendationes necnon interpretationes apud *Otto*, p. 174. n. 15.) Illic quidem Athenagoras alludere videtur huic Genesis versui (II, 24) : « *Et erunt duo in carne una* ». quem sic explicavit Christus. apud Matthaeum, XIX. 5 et 6 : « *Et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo. sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit. homo non separet.* » Athenagoras igitur illam quasi carnis unitatem. quam Deus ab initio primi matrimonii institutione fundavit, secundis disrumpi nuptiis videlicet significat. quod superiore et miro verborum nexu de illo qui secundam uxorem ducit, confirmatur : « Ὁ γὰρ ἀποστερῶν ἑαυτὸν τῆς προτέρας γυναικὸς, καὶ εἰ τέθνηκεν, μοιχός ἐστιν παρακεκαλυμμένος. *Nam qui se ipsum a priore uxore abalienat, etiamsi mortua est.* occultus est adulter. » — Ad eamdem conclusionem de divortio pervenit eruditissimus in medicina doctor Ferrand in recenti dissertatione legenda, *Physiologie et Indissolubilité* (*Annales de Philosophie chrétienne*, Juil. 1897).

1. Inter ceteros *Tillemont* « quo viro neminem aequiorem, neminem ad vituperandum tardiorem » jure declarat Maranus. (*Turpe* adulterium secundas nuptias appellabant montanistae.) Lege contra doctissimam Marani disputationem, qua Athenagoras hac suspicione absolvitur (*Migne*, Patr. Gr., t. VI. p. 188-197, cap. XIV).

2. De hoc ad Diognetum Epistulae loco lege *Jahrbücher für protestantische Theologie*, Leipzig, 1881, Dräseke, p. 428 sqq. — Cf. Theophilum Antiochenum, Ad Autol. III, c. 15; Clementem Alex., Strom. III, 12; Origenem, hom. 17 in Lucam: Basilium, Ep. 161; Joannem Chrysost., Serm. 46; Tertullianum, De Monogamia; Minucium Felicem, Octavius c. 28; Hieronymum. Epist. 91, alias 11. et passim; Ambrosium, De Viduis: etc. Monent Maranus et *Otto* consuli posse ejusmodi testimoniorum longam seriem apud Cotelerium ad Herm. Past. II mand. 4, § 4. et apud F. Chr. Baur, *Die sogen. Pastoralbriefe*, Stuttg. 1835, p. 117 sqq.

benedictionem quam priore vice [1]. In Oriente autem tales Neocaesariensi concilio jubebantur jejuniis et poenitentiae vacare, et secundarum nuptiarum epulis adesse vetabantur sacerdotes, ne eas hoc ipso approbare viderentur [2]; immo ex ecclesiastico jure, postea Basilii et Leonis imperatorum constitutionibus confirmato, videtur fuisse conjugium ultra tertium invalidum [3]. Illa vero severitas liquido intellegitur, si quis solita harum nuptiarum incommoda in servanda parentum liberorumque concordia perpendit ac potissimum istius aetatis pernoscit mores. Namque tale matrimonium jam ethnica religione apud Romanos improbabatur [4]; et Seneca in libro de Beneficiis, postquam asseruit neminem ducere uxorem posse, nisi quis « se amica fecit insignem », fortibus his verbis concludit, Athenagorae sententiae propioribus : « *Inde decentissimum sponsaliorum genus est adulterium* [5] ». Itaque hoc tempore, quo solutissimi, ut patet, erant mores, non mirum est novam fidem, quae cupiditates frenare nitebatur, secundas nuptias aegre tulisse. Immo, in Oriente ubi mores in pejus abierant, cum iis maxime pugnarunt Graeci patres, in quo ultra modum sunt progressi, et Athenagoras cum ceteris adductus est ut secundas nuptias non quidem condemnaret nec prohiberet, sed « speciosum adulterium » definiret, quod merito dici poterat quotiescumque vidua amatori suo nubebat aut viduus amatricem suam ducebat uxorem [6]. Attamen noluit Ecclesia severiorem de hac re praebere frontem neque hu-

1. Chardon, *Histoire des Sacrements*, apud *Migne*, t. XX, p. 1045 sqq. — Illos qui secundas nuptias admiserant, a sacris ordinibus esse remotos monet presbyter Bergier, *Dictionnaire de Théologie*, t. I, « Bigame ».
2. Canones 3 et 7, a Chardon citati.
3. Chardon, p. 1039 sqq., ubi singula praestantissima reperias; H. Hurter, *Theologiae dogmaticae Compendium*, Œniponte. 1891, t. III, p. 745.
4. Gaston Boissier, *La Religion romaine*, t. II, p. 234.
5. L. I, c. 9.
6. Illis vel nimiis Athenagorae affirmationibus adversus Protestantes probari caelibatum I° et II° seculo christianae disciplinae quasi nervum fuisse censet Darras (*Histoire générale de l'Eglise*, t. VII, p. 338).

manas superare vires, et Nicaeensi concilio [1], quod Laodicensi deinde confirmatum est [2], e Pauli doctrina (I Ep. ad Cor., VII, 39 [3]) justissimas esse secundas nuptias palam declaratum est, denique supremus Pontifex Eugenius IV^us in decreto pro Jacobitis non solum secundas, sed tertias nuptias et quartas atque ulteriores, si quod canonicum non obstiterit impedimentum, licite contrahi posse docuit.

Athenagorae igitur expositio cum de secundis nuptiis tum de matrimonio (ubi prorsus praetermittitur mutui inter conjuges amoris ratio), non habenda est christiana quae invaluit doctrina, sed gravis et privata quaedam opinio, quae quidem illa aetate peropportune praedicaretur et celebraretur, eaque non tantum quod agere solebant Athenagorae fratres, quantum quod iis agendum proponebatur, exprimit [4] (Cap. 33).

Denique Athenagoras, rursus insectatione usus, Christianorum moribus mores criminantium tam vehementer opponit ut proverbium iis adhibeat : « Ἡ πόρνη τὴν σώφρονα, meretrix pudicam (accusat) ». « Nam, ut eloquentissime exclamat, qui impudicitiae nundinas instituerunt adolescentibusque impura turpissimae cujusque libidinis deversoria proposuerunt et... masculi in masculos horribilia patrant et... pulchritudinem etiam a Deo factam dedecorant..., hi tales, quae sibi consciverunt et de suis enarrant diis, ea nobis conviciantur, adulteri et puerorum amatores ipsi eunuchos et semel nuptos ignominia afficientes. Οἱ γὰρ ἀγορὰν στήσαντες πορνείας καὶ καταγωγὰς

1. I. cap. 8.
2. Cap. 1.
3. Hic modo addit Apostolus, v. 40 : « Beatior autem erit si sic [vidua] permanserit, secundum meum consilium ». — Cf. ejusdem Primam ad Timothaeum Epistulam (cap. V), ubi viduas vere viduas et desolatas laudat, sed junioribus praecipit ut rursus nubant.
4. Huic veterum Graecorum Patrum severitati de secundis nuptiis salse confert *Chardon* (*loc. cit.*) vulgarem vituperationem, seu illud convicium (Gallice *charivari*), quod ruri saepe fit iterum uxorem ducentibus.

ἀθέσμους πεποιημένοι τοῖς νέοις πάσης αἰσχρᾶς ἡδονῆς καὶ... ἄρσενες ἐν ἄρσεσι τὰ δεινὰ κατεργαζόμενοι,... ἀτιμοῦντες καὶ τὸ ποιητὸν τοῦ θεοῦ καλὸν..., οὗτοι ἃ συνίσασιν αὐτοῖς καὶ τοὺς σφετέρους λέγουσι θεοὺς,.. ταῦτα ἡμᾶς λοιδοροῦνται, καπίζοντες οἱ μοιχοὶ καὶ παιδερασταὶ τοὺς εὐνούχους καὶ μονογάμους[1]. »

Eosdem reprehendit quod ferarum[2] more vivant, scilicet valentissimus quisque infirmiorem lacessat jacentemque[3] voret (quod est humana vesci carne), et legibus ab imperatoribus latis adeo vim inferant[4] ut provinciarum legati litibus fiant impares, ac crudeliter in Christianos saeviant qui sua disciplina bonum pro malo reddere debent[5]. Sic conficit hoc breve caput de Paganorum violenta cupidine et injustitia, per quod a secundo ad tertium crimen transire videtur (Cap. 34).

1. Extremo hoc verbo quasi colligit Athenagoras quae superiore capite de secundis nuptiis asseruit. — Totus hic dicendi motus quamdam Justini imitationem mihi videtur prodere; qui eamdem sententiam brevius et minore vi sic bis expresserat, I Apol., cap. 27 : « Καὶ τὰ φανερῶς ὑμῖν πραττόμενα καὶ τιμώμενα,... ἡμῖν προσγράφετε », et II Apol., cap. 12 : « Αἰδέσθητε ἃ φανερῶς πράττετε εἰς ἀναιτίους ἀναφέροντες, καὶ τὰ προσόντα καὶ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς ὑμετέροις θεοῖς, περιβάλλοντες τούτοις ὧν οὐδὲν οὐδ' ἐπὶ ποσὸν μετουσία ἐστί ». Cf. Tertull., I, Ad Nat., cap. 16, et Minuc. Fel., cap. 31, et cap. 28 : « Etiam ille, qui de adoratis sacerdotis virilibus adversum nos fabulatur, tentat in nos conferre quae sua sunt ». — Apud Nostrum ineuntis capitis parenthesim : « καὶ τί ἂν εἴποιμι τὰ ἀπόρρητα », ad flagitiosissimas paganorum libidines, non ad « arcani disciplinam » spectare cum Suffridio Petro et *Neander*, contra *Rothe* sentio (vide *Otto*, p. 174, n. 1), eo magis quod Justinus in supra citato loco de eadem materia ἀρρητοποιῶν πλῆθος commemorat.

2. Hic ab Athenagora modo *pisces* designari satis mirum est. Hujus est videlicet causa quod quibusdam Hesiodi versibus alludit, ubi pisces, ferae, avesque enumerantur.

3. Nonne haec vox : « τὸν ἐμπεσόντα », potius *jacentem*, sive *illum qui cecidit* designat quam *obvium*, praesertim cum sequentibus verbis, quae ferum hominem imbecilliori inimico instantem quasi fingunt?

4. Eruditorum *de Wilamowitz-Moellendorf* et *Schwartz* correctione ἀνθρώπους (p. 45, v. 2) rejecta, mihi adscisco quam praebet codex Parisinus 451 lectionem αὐτούς, cum noster scriptor verba οὗτος et αὐτός ambo juncta Apologiae cap. 24 et De Resurr. cap. 9 et 11 adhibuerit. Cf. etiam ἐκείνοις αὐτοῖς (De Resurr., cap. 3). Legas de hoc *Otto*, p. 177, n. 10.

5. Hic iterum alluditur cuidam Montanae Orationis loco (Luc. VI, 29 et 28).

II

Tertium denique crimen adit Athenagoras, hoc scilicet quod ejusdem aetatis pagani viri Thyesteas cenas vocare solebant [1], nos autem Graeco verbo ἀνθρωποφαγίαν diceremus. Non dignatur autem (nisi forte « arcani disciplina » obligatus sit [2]) caerimoniam illam explicare, quae tali calumniae locum sine dubio dederat, id est sacrum Eucharistiae convivium, quo Christiani se Dei sui, hominis facti carne et sanguine vesci confidebant [3]. Sed satis habet si demonstraverit talem calumniam, haud secus ac superiorem, ab omnibus Christianorum institutis prorsus abhorrere : ii enim qui hominem comedunt, necesse est ut eumdem antea interfecerint; neminem porro, ne servos quidem quos domi christiani viri habeant, vel interrogatos, unquam tale quidquam a se esse visum dixisse [4].

1. Hunc fabularem dicendi modum : « Θυέστεια δεῖπνα », tanquam « Οἰδιπόδειοι μίξεις », cum in Oriente tum in Occidente in usu esse jam supra, ineunte capite III°, ostendimus.

2. Haec fuit sententia RICH. ROTHE, *De disciplinae arcani in eccles. christ. origine*. Heidelb., 1841, 4°, p. 24.

3. De his facinorosis epulis vide quoque Minucii Felicis *Octavium*, cap. 9 et 30.

4. Si quis miratur Athenagoram de Christianorum servis loqui (καὶ δοῦλοί εἰσιν ἡμῖν, τοῖς μὲν καὶ πλείους τοῖς δὲ ἐλάττους, οὓς οὐκ ἔστι λαθεῖν), animum intendat veteres Christianos servitium, quod subito abolere nequirent, ne statum civitatis gravius conturbarent, invitos admisisse, sed, Pauli exemplo, summa vi et palam esse professos cunctos homines coram Deo aequos esse : « Non est personarum acceptio apud Deum », inquit de servis et dominis Apostolus (Coloss. III, 25); « In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, ...sive servi sive liberi » (I Cor., XII, 13) et *passim*, Ephes. VI, 5; I Timoth. VI, 1; Tit. II, 9, et I Petri Epistula, II, 18, etc. Sic indirecto, sed certo modo servitii ruinam parabant Christiani haud secus ac dum manuum laborem, ab ipsis tractatum, magnopere commendant : « Laboramus operantes manibus nostris », Pauli I Cor. IV, 12 : cf. I Thessal. II, 9 : II Thessal. III, 8, etc. Ut vero elegantissime dixit *Allard* (*Esclaves*, p. VIII), hujus immensae arboris, servitii scilicet radices tanta industria suffoderunt ut proximis seculis sponte ruitura esset. Itaque iniquus erga veteres Christianos mihi videtur *Renan* cum de hoc agit (*Origines*, t. VII, p. 560).

Quae cum ita sint, servos quibus ipsi forte utebantur, summa benevolentia, sicut famulos, aut potius sicut fratres ab iis habitos esse certissimum est : sic Paulus Philemoni suadet ut fugitivum servum « recipiat, jam non ut servum,

At oblivisci videtur Athenagoras Justinum ipsum in II[a] Apologia declaravisse quosdam Christianorum famulos, vel pueros vel mulierculas, horrendis cruciatibus coactos, talia crimina in eos protulisse[1]. Certe quidem nondum audiit, hoc ipso anno quo Apologiam conscripsit, Lugduni in Gallia a nonnullis paganis famulis heros suos Thyestearum epularum incusatos esse, quod Epistula quadam celebri Lugdunensis Viennensisque Ecclesiae ad Orientis fratres suos retulerunt[2] : ceterum id nobis argumentum fuisse ut hocce opus ante anni 177 septembrem mensem conscriptum esse statueremus, lector fortasse etiamnum meminit[3].

Posterius vero apologetae argumentum validius : nam quantum cruoris effusi horrorem prae se ferant semper Christi fautores, pressis vividisque interrogationibus ostendit : illos enim sive indicti legibus supplicii spectaculo, sive publicis ludis vel datis a principibus ideo abstinere[4], « quoniam homi-

sed pro servo charissimum fratrem », Phil. 16. Ceterum in duobus infra citatis locis, a Justino et Lugdunensibus Christianis non servos (δοῦλοι), sed famulos (οἰκέται), commemoratos esse animadvertes. Vide tamen a servis suis Christianos alios, Lugduni etiam et alibi, esse denuntiatos, apud Allard (*Esclaves*, p. 251, n. 1). Reperias hanc materiam, quod ad rerum historiam spectat, praesertim habitam ab Henri Wallon, *Histoire de l'Esclavage dans l'antiquité*, 3 vol. 8°, Paris, Dezobry, 1847-48, et Paul Allard, *Les Esclaves chrétiens* depuis les premiers temps de l'Église jusqu'à la fin de la domination romaine en Occident, 2[e] ed., Paris, Didier, 1876. Cf. materiae summam, cum Indice librorum de hoc scriptorum, apud R. P. Ch. Antoine, S. J., *Cours d'Economie sociale*, Paris, Guillaumin, 1896, p. 149-150.

Catholica autem theologia, quemadmodum hoc servitium damnat quod humanam dignitatem atque animi libertatem laedit (in quo plerumque positum est servitium), sic illud quasi servitium admittit quod in hoc positum est ut hominis labor sive ad tempus sive in perpetuum, incolumibus corpore et anima, alienetur. V. *Theologiam moralem*, auctore *Leckmühl*, Soc. Jesu sacerdote, ed. octava, 1896, vol. I, p. 446.

1. « ... Εἰς βασάνους εἵλκυσαν οἰκέτας τῶν ἡμετέρων, ἢ παῖδας, ἢ γύναια, καὶ δι' αἰκισμῶν φοβερῶν ἐξαναγκάζουσι κατειπεῖν ταῦτα τὰ μυθολογούμενα, ἃ αὐτοὶ φανερῶς πράττουσιν... » (Cap. 12, *Migne*, Patr. Gr. t. VI, p. 464, B.).

2. « Συνελαμβάνοντο δὲ καὶ ἐθνικοί τινες οἰκέται τῶν ἡμετέρων, ἐπεὶ δημοσίᾳ ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν ἀναζητεῖσθαι πάντας ἡμᾶς· οἳ καὶ κατ' ἐνέδραν τοῦ σατανᾶ, φοβηθέντες τὰς βασάνους ἃς τοὺς ἁγίους ἔβλεπον πάσχοντας, τῶν στρατιωτῶν ἐπὶ τοῦτο παρορμώντων αὐτούς. κατεψεύσαντο ἡμῶν Θυέστεια δεῖπνα καὶ Οἰδιποδείους μίξεις... » (apud Eusebium, Hist. Eccl. V, cap. 1).

3. Exeunte capite II°, p. 26-27.

4. Attamen Marcum Aurelium conari solitum esse ut in gladiatoriis certa-

nem interfici spectare aut interficere esse proximum existiment, πλησίον εἶναι τὸ ἰδεῖν φονευόμενον τοῦ ἀποκτεῖναι νομίζοντες[1] »; non modo eos cruorem effusum intueri nolle, sed tam sanctam habere vitam humanam ut, si qua mulier abortivis usa sit, homicidii rationem Deo olim reddituram esse putetur, et, si quis infantem exposuerit, interfecisse dicatur[2]. « Nos, ut scriptor perorat, omnino et in omnibus nobismetipsis similes aequalesque sumus, rationi servientes, non imperantes, ἀλλ' ἐσμὲν πάντα πανταχοῦ ὅμοιοι καὶ ἴσοι, δουλεύοντες τῷ λόγῳ καὶ οὐ κρατοῦντες αὐτοῦ[3] » (Cap. 35).

Accedit autem, ut Christiani diluant homicidii crimen, quod ad vitam resurrectura corpora et aeterna futura credunt : etenim quis illorum se resurrecturis corporibus tumulum praebere vellet? — Hoc quidem argumentum nobis pertenue merito videtur, sed maxime Paganos flectere poterat, cum illud potissimum ab his adversus carnis resurrectionem proferri soleret. Attamen eo hic uti quam imprudentis erat! Namque quod Christiani ad refellendam homicidii criminationem afferebant, hoc idem contra ipsos Ethnici ad eruendam de corporis resurrectione doctrinam adhibere poterant, iis respondendo : « Ergo, si forte, hominem comedentes, pertimescitis ne non hujus corpus resurgat, quid fiet olim de illorum corporibus qui reipsa ab hominibus aut feris erunt vorati? » Itaque huic refutandae

minibus sanguis non effunderetur, refert Dio Cassius, *Hist. Rom.*, l. LXXI, c. 29. — Prorsus eadem defensione utitur Theophilus (III, 15). De hac ludorum abstinentia remittit *Otto* ad Tertullianum. De Spectac., c. 24, et Apolog., c. 38, et ad Prudentem in Symmach., I. 379 sqq.

1. Haud aliud argumentum etiamnum ab illis non immerito affertur qui, hoc exeunte XIX° seculo, nituntur ut in Gallia taurorum prohibeantur certamina.

2. Hunc unum fuisse e praecipuis servitii fontibus constat. De hoc lege Plinii Junioris Epist., X, 71 et 72. — Expositos pueros commemorat quoque Justinus I Apol., c. 27.

3. De utroque proximo verbo hanc lectionem recipio, quae cum praescriptis vocibus optime quadrat, eaque propius accedere mihi videtur ad Parisini 451 codicis textum « οὐ καρτεσαυτου » quam ab *Otto* admissa lectio « οὐκ ἄρχοντες αὐτοῦ » aut a *Schwartz* « οὐ καταμαρτυροῦντες αὐτοῦ ». Ceterum codices Parisinus 174, Claromontanus et tres Anglicani « οὐ κρατοῦντες » praebent.

contradictioni maximam operam dabit ipse Athenagoras toto sui libelli de Mortuorum Resurrectione initio[1].

Felicius vero, ut solet, pergit apologeta animadvertendo illos qui persuasum habeant corpus, quod pravis animi motibus inservierit, a Deo simul cum eo punitum iri[2], hac fide ultro perduci ut omni abstineant facinore[3]. — Si quis igitur dissolutae carnis resurrectionem meras nugas existimaret, Christianos stultitiae forsitan, non improbitatis saltem insimulare posset, cum doctrina sua, si semetipsos decipiant, nemini noceant[4]. — Ceterum non soli Christiani talem de corporibus profitentur fidem, ac, nisi metueret Athenagoras ne alienas ab inito certamine disputationes inserere videretur, ipsi ostendere liceret Pythagoram et Platonem (cujus de hoc in Timaeo doctrinam stringit) nequaquam insanum putavisse corpus aliquod, cujus partes sint disjunctae, rursus coalescere[5].

Hanc vero mortuorum resurrectionis demonstrationem, cui incumbere non vult, subito abrumpit Noster et ad alterum opus remittit : « Ἀλλ' ἀνακείσθω μὲν ὁ περὶ τῆς ἀναστάσεως λόγος. Sed supersedeat haec de resurrectione disputatio[6] », ita ut apud Athenagoram, qui cuncta ordine, sicut hactenus vidimus, deducere solet, paenultimum hoc caput a Legatione ad libellum

1. Capita 3-8.
2. Hoc obiter affert scriptor unum e praecipuis pro corporum resurrectione argumentis.
3. Jam in capite 12, non potissimum de corporibus, sed universo modo ad demonstrandam Christianorum innocentiam, ab hoc apologeta deprompserat argumentum quod crederent fore ut ad judicium Dei adessent.
4. Huic loco jure confert *Otto* Lactantii verba (Instit. div. V, c. 12) : « Si vobis stulti videmur, contemnite aut etiam ridete, si libet : nobis enim stultitia nostra prodest ». — Quam male autem haec apud Athenagoram sententia cum circumdantibus quadret, animadvertendum est.
5. De philosophis idem disputantibus uberior est scriptor ille alterius de Resurrectione libelli, qui, diu Justino attributus, hujus saltem aetati referri potest (cap. 6). — Pythagorae scripta ad nos usque non pervenisse constat.
6. Quae sententia apud *Otto* ultima capitis 36 est, prima autem cap. 37 apud *Schwartz*, nimirum propter particulam μέν quae vocem ἀνακείσθω subit inferioremque sententiam quasi vocat. Quidquid id est, hac certe, quod ad sensum spectat, caput 36 clauditur.

de Resurrectione, quem sic liquet postea exaratum esse, verus transitus haud immerito haberi possit (Cap. 36).

Postquam igitur huic tertio eidemque extremo homicidii crimini divini conditoris consilia, Christianorum ceteros mores, firmissimam de corporum resurrectione fidem, omnia repugnare ostendit, orationem suam Athenagoras breviter, cum placida gravitate conficit : ipse, qui Christi fautores solere esse pios, mansuetos, temperantes demonstraverit [1], ab imperatoribus, maxima laude propter suam humanitatem condonatis, aliquod favoris signum postulat : « Ὑμεῖς δὲ... τὴν βασιλικὴν κεφαλὴν ἐπινεύσατε, vos autem regio capite adnuite ». Denique iisdem confirmat Christianos pro iis eorumque imperio preces adhibere, quod plurima ceterum testantur documenta [2] : nullo quidem modo potuit Athenagoras certius sibi principum benevolentiam confirmare quam pronuntiando fratres non modo pios et puros viros, sed etiam optimos esse cives (Cap. 37 et ultimum).

1. Hic totum opus, una tamen inversa parte, colligere videtur scriptor : « ἐπιδεδειχότι ὅτι καὶ θεοσεβεῖς [Ia pars] καὶ ἐπιεικεῖς [IIIa pars] καὶ τὰς ψυχὰς κεκολασμένοι [IIa pars] ».
2. Vide infra nostrum caput VIum.

CAPUT V

Qui fuerint Sycophantae quos in Legatione sua refellit Athenagoras.

Quas partes in vexationibus contra Christianos habitis tenerent delatores [p. 80].

Quae Noster sycophantis vitio verteret [p. 85]. — Nimirum rhetores Athenienses significare voluit [p. 89-90].

Cur rhetores Christianis infensissimi essent [p. 90]. — De Herode Attico et rhetoribus aliis qui Athenis hac aetate vivebant [p. 92]. – Quomodo et cur ad summam eos aggressus sit Athenagoras [p. 94].

Legatione jam expensa, antequam de hoc graviore Athenagorae opere concludam, mihi de duplici illo hominum genere vicissim nunc edisserendum, de quibus mentio crebro habetur in Supplicatione, de sycophantis scilicet ac de imperatoribus, ut, quos refutet et quos alloquatur attendendo, diligentius etiam, si licet, et orationem et oratorem cognoscamus.

*
* *

Quam gravem personam teneant in Apologia sycophantae, « οἱ συκοφάνται », profecto lector jam animadvertit, cum tantum contra eos, ut ita dicam, opus suum susceperit scriptor; quod a primo capite liquido profitetur, ubi imperatores sic implorat : « A vobis petimus ut ad nos quoque oculos vertatis, *ut desinamus tandem a sycophantis mactari*, δεόμεθα ὑμῶν

καὶ περὶ ἡμῶν τι σκέψασθαι, ὅπως παυσώμεθά ποτε ὑπὸ τῶν συκοφαντῶν σφαττόμενοι [1] ».

Amara quidem querela nec tamen mira. Nam quae fuerit in republica Christianorum conditio tribus primis post Christum natum seculis, nunc satis constat. Nulla quidem lex, quae adversus eos lata sit, etsi diligenter nostro tempore indagata est, etiamnum est reperta, neque usquam Christianos ob communis juris scelera punitos videre est [2]. Sed post Neronem et Domitianum mos invaluerat habendi illorum fidem reipublicae ideo contrariam quod paganos deos appellare et principum imaginibus supplicare recusabant. Quamobrem, quicumque se christianum esse coram judicibus confitebatur, tantam hanc culpam damnatus morte luebat.

Attamen nolebant II° seculo imperatores, qui tam libere proferri cujuslibet gentis ritus et superstitiones aequo animo patiebantur humanioresque mores apud omnes populos propagare studebant, cunctos undique Christianos, ceterum bene notos, in judicium vocare et occidere. Inde maxime haerebant cum imperatores ipsi tum eorum in provinciis proconsules,

1. P. 2, v. 15-16. Cito infra (p. 3, v. 9 et 10) a principibus postulat legem quae Christianos defendat. « ut nos quoque, inquit, gratiam vobis habeamus, gloriantes *quod desierimus denuntiari*, ἵνα... καὶ ἡμεῖς ἔχωμεν ὑμῖν χάριν σεμνυνόμενοι ὅτι πεπαύμεθα συκοφαντούμενοι ». — Vix utile est commemorare hac voce συκοφάνται in veteribus Athenis eos designari solere qui ficos (σῦκον) contra latas leges evectas denuntiarent (φαίνω). Hoc nomen paulatim idem ac *delatores* valuerat cum fastidioso etiam colore quodam. Quinam autem sic designari solerent, diligentius finire, vel qui Graecas maxime callent litteras difficile esse fatentur. — IV° ante Christum natum seculo, Dicaearchus Atticos, qui ingenio suo essent « sycophantae », opponebat Atheniensibus, qui « magnanimi » essent : « Οἱ μὲν Ἀττικοὶ ... συκοφαντώδεις ...· οἱ δ' Ἀθηναῖοι μεγαλόψυχοι... » (*De Graeciae Urbibus*, § 4, in *Fragmentis Historicorum Graecorum*, t. II, ed° Caroli Mülleri, ap. Didot, Paris, 1843, p. 255).

2. Cf. Neumann, *Der römische Staat und die allgemeine Kirche bis auf Diocletian*, t. I, 1890; — Mommsen, *Historische Zeitschrift*, t. LXIV, 1890, p. 389; — Ramsay, *The Church and the roman Empire before 170*. Londinii, 1894; — Hardy, *Christianity and the roman Government*, Londinii, 1894; omnia haec opera citata sunt a Paulo Allard, ineunte conspicuo studio cui titulum inscripsit : *La Situation légale des Chrétiens pendant les deux premiers siècles* (Revue des Questions historiques, Paris, 1896, p. 5-43). Hunc haud semel sequimur.

qualis in Bithynia, anno 112 Plinius Secundus, qui, dum nescit « quid » in cognitionibus de Christianis « et quatenus aut puniri soleat, aut quaeri », Trajanum imperatorem consulendum curavit. Ad eum princeps illud celebre inter cetera rescripsit : « ... Conquirendi non sunt : si *deferantur* et arguantur, puniendi sunt [1]... », quod ipsius Tertulliani testimonio confirmatum versatur [2].

Haud aliter, paucis post annis, circa annum 124, Hadrianus ad Asiae proconsulem, Minicium Fundanum, cujus antecessor de eadem re ad imperatorem retulerat, rescribebat his verbis : « ... *Si quis accuset* [Christianos] et contra leges aliquid agentes ostendat, ita statue pro culpae magnitudine. Εἴ τις κατηγορεῖ [χριστιανοὺς], καὶ δείκνυσί τι παρὰ τοὺς νόμους πράττοντας, οὕτως διόριζε κατὰ τὴν δύναμιν τοῦ ἁμαρτήματος... [3] »

Sic quidem omnes principes Antonini dicti jussisse, sic omnes eadem aetate procuratores egisse videntur [4] : plerumque Christianos non a magistratibus conquiri mos erat, sed quotiescumque illorum unus ab aliquo indice deferebatur, in jus rogari, hoc est condemnari solebat. Ergo fere soli delatores adversus Christianos cognitionis et insectationis auctores, condemnationis et supplicii causae erant. Ita mors, quae eorum cervicibus semper instabat, in eos tamen non nisi ex privata denuntiatione incidebat.

Isti autem delatores, lucri spe vehementer incitati, cum,

1. Plinii Junioris Epistulae, lib. X, ep. 97 et 98.

2. « ... Quas (leges) Trajanus ex parte frustratus est, *vetando inquiri Christianos.* » Apol., c. 5.

3. Migne, *Patr. Gr.*, t. VI, p. 431-434, exeunte 1ª Justini Apologia : Graeca versio, ab Eusebio relata, Latino archetypo supposita est. De hoc rescripto lege doctissimam quamdam notam apud Renan, *Histoire des Origines du Christianisme*, t. VI, p. 32, n. 2 et eximiam disputationem apud Paulum Allard, *Histoire des Persécutions pendant les deux premiers siècles, d'après les documents archéologiques*, Lutetiae, 1885, p. 235-250. Uterque illud rescriptum verum esse putat.

4. Melito, ap. Euseb., Hist. Eccl. IV, 26, et Tertull. Apol. 5. — Haud secus cum Christo ipso egerat Pontius Pilatus, Judaeae procurator.

ex legibus, eorum quos detulerant praedae partem accipere solerent, « alienarum opum amore capti, — ut hoc tempore vehementer ait Melito, — manifesto praedabantur, τῶν ἀλλοτρίων ἐρασταὶ.... φανερῶς λῃστεύουσι [1] » : nunc voce scilicet nunc libellis Dei servos incusabant. Interdum, in qua urbe hi dulci fruebantur pace, subito plebs, a perversis quibusdam hominibus incitata vel propriis cupiditatibus accensa, in theatris saepissime : « Christianos ad leonem! » conclamabat [2] : continuo Christiani nonnulli quaesiti, brevi a civitatis praesidibus interrogati, si fideles manerent, quod saepissime fiebat, sine ulla mora supplicio tradebantur : nullam ob aliam causam, circa annum 155, Smyrnae, fortissimus senex Polycarpus, urbis episcopus, quoniam scilicet mediis in ludis exclamaverat vulgus : « Quaeratur Polycarpus ! Ζητείσθω Πολύκαρπος. », rogo in medio stadio constituto atrocem mortem oppetiit [3]. Saevientibus autem potissimum publicis calamitatibus, crudelissime vexabantur Christiani, quia tunc plebs, quae superstitione erat obcaecata, victimarum sitiens diis mactandarum, Christianos qui hos venerari recusarent, palam denuntiabat [4].

Quae agendi ratio quam indigna fuerit imperatoribus, qui cognitionem, modo coacti, exercerent et subjectis quibusdam suis in hoc quasi servirent, nedum imperarent, ostendere non hujus est argumenti. Ceterum illud ipsi partim intellexere Antonini, et delatores istos, quorum in dies crescebat numerus audaxque nequitia [5], sine ulla intermissione frenare tentave-

1. Apud Eusebium. Hist. Eccl. IV, 26.

2. Tertull., Apologet. c. 40.

3. Euseb. Hist. Eccl., IV, 15. Lege totum hoc martyrium apud Paulum Allard, qui id ex Epistula de *Martyrio Polycarpi* ab Eusebio relata narravit (*Histoire des Persécutions*, p. 296-313). Cf. G. Lacour-Gayet, *Antonin le Pieux et son temps*, 1888, thèse, p. 383 et 384, n. 1.

4. Sic saevientibus sub Marco Aurelio peste, fame aut inundationibus, exempli gratia anno 163.

5. Quadratus, Melito, dictum Antonini rescriptum, ap. Eusebium, Hist. Eccl., IV, 3, 26, 13. Vide *Renan* qui ipsum Nostri caput 1um testimonii modo affert (*Origines*, t. VI, p. 34, n. 2).

runt : verebantur nimirum ne isti omnibus memoriam redderent pessimorum qui ante se fuerant principum, nempe eosdem qui nunc Christianos deferrent, optimum civem quemque antea detulisse. Sic, imperante Trajano, superiorum regnorum delatores nulla florebant gratia [1]; itaque idem princeps ad Plinium respondens, qui nonnullos Christianos, omnes ad se delatos, judicaverat et libello sine auctore sibi immisso sic erat deceptus, superaddendum curavit : « Sine auctore vero propositi libelli nullo crimine locum habere debent : nam et pessimi exempli *nec nostri seculi est* [2] ».

Immo Hadrianus, qui in delatores universos legem pertulerat [3], Minicio Fundano hoc, quod jam citavimus, rescripto, inquisitionem in Christianorum litibus ideo instituendam jussit ne « sycophantis, inquit, improbitatis munus praebeatur, τοῖς συκοφάνταις χορηγία κακουργίας παρασχεθῇ [4] ». Praecepit autem ut hi delationem suam pro tribunali argumentis confirmarent, « sed non petitionibus nec solis clamoribus, ἀλλ' οὐκ ἀξιώσεσιν [5], οὐδὲ μόναις βοαῖς ». Denique minantis in modum ita con-

1. Vide Plinii Secundi Epistulas, qui exempli gratia de Silio Italico paene mortuo dicit : « Laeserat famam suam sub Nerone; credebatur *sponte accusare* », III, 7. — Quadam alia die narrat Plinius coram Caesare ipso causam dixisse « hominem munificum, et innoxie popularem. Inde invidia, et ab dissimillimis delator immissus. *Itaque* absolutus vindicatusque est », VI, 31 et passim.

2. Epist. cit., Plin. Jun., X, 98.

3. Adversus delatores a mandatoribus adhibitos. « Divus Pius Caecilio Maximo rescripsit, *constitutionem patris sui*, qua compelleretur delator edere mandatorem, ac, nisi edidisset, ut in vincula deduceretur, eo pertinere, non ut delator poenae subduceretur, si mandatorem haberet; sed ut mandator quoque perinde atque si ipse solus detulisset, puniretur. » Digesta, XLIX, xiv, 2, § 5 (apud Allard, *Persécutions*, p. 248, n. 1). De hoc delatorum usu a mandatoribus immissorum, vide etiam paenultimam notam de Plinio exeuntem.

4. *Migne*, Patr. Gr. VI, p. 432, C. — Hujus sententiae initium falso Gallica lingua reddidisse Paulus *Allard* mihi videtur : « Je ne veux point laisser *cette requête sans réponse...* » Οὐ δοκεῖ οὖν μοι τὸ πρᾶγμα ἀζήτητον καταλιπεῖν. — *Renan* contra apte : « *L'affaire* ne me paraît pas pouvoir être laissée *sans enquête...* » (*Hist. des Orig. du Christ.*, t. VI, p. 33).

5. Hac voce designari acclamationes illas populi, quae in theatris fieri solebant, sicut : *Christianos ad leonem*, de quo supra, animadvertit ex Valesio Maranus (*Migne*, Patr. Gr., VI, p. 432, n. 4).

cludit : « Mehercule, si quis sycophantiae causa tale crimen proponit, de hoc separatim cognosce ob crudelitatem, et cura ut poenam ab eo repetas. Μὰ τὸν Ἡρακλέα, εἴ τις συκοφαντίας χάριν τοῦτο προτείνοι, διαλάμβανε ὑπὲρ τῆς δεινότητος, καὶ φρόντιζε ὅπως ἂν ἐκδικήσειας ».

Antoninus autem patrem in reprimendis delatoribus secutus est[1], dein erga eosdem Marcus Aurelius poenas fecit severiores, « adjecta etiam, inquit Tertullianus, *accusatoribus* damnatione, et quidem tetriore[2] ».

At vel hoc laudando nisu imperatores nihil proficiebant, cum delationem, istam veterem Romani imperii pestem[3], quam penitus eruere debuissent, tolerare tamen, quin etiam obliquo sed certo modo confirmare, ut vidimus, et adversus Christianos accendere pergerent. Eo scilicet potissimum tempore quo Athenagoras opus suum conficiebat, medio anno 177, Lugdunum Gallis undique ad solemne mensis Augusti festum concurrentibus, caeca plebs plurimos subito coepit deferre Christianos : qui statim, absente imperatoris legato, etsi praeter morem, a duumviris ipsis comprehensi, interrogati, in carcerem conjecti, mox, approbante principe, saevissimis usque ad mortem torti sunt suppliciis[4].

Quam infensi igitur Christianis manerent delatores, et quam perpetuo mortem iis intentarent, facile perspicitur. Inde

1. Vide, superioris paginae n. 3, Antonini de hac re rescriptum. — Ceterum hic, ex Melitone, nominatim ad Larissaeos et ad Thessalonicenses et ad Athenienses et ad universos Graecos scripserat ne ullos tumultus contra Christianos concitarent, « μηδὲν νεωτερίζειν ». (Ap. Euseb., Hist. Eccl. IV, 26, sub finem.)

2. Apolog., c. 5. Cf. Renan, *Origines*, t. VII, p. 59, n. 1.

3. Delatores Seneca, post Tullium (Pro Roscio, 19; II Verr. III, 11), canibus comparat, de Brevitate vitae 11 (ap. Allard, *Persécutions*, p. 247). Lege de hoc argutissimum Luciani libellum : « Non temere credendum esse delationi. Περὶ τοῦ μὴ ῥᾳδίως πιστεύειν διαβολῇ », ubi Delationis picturam descriptam reperias.

4. Legas mirabilis hujus rei narrationem in Epistula Viennensis et Lugdunensis Ecclesiarum apud Eusebium, l. V, et apud duos recentiores historicos contraria mente instinctos, ambo callentes, Renan, *Origines*, t. VII, p. 302-344, et Allard, *Persécutions*, p. 391-418, potissimum, quod ad nostram disputationem spectat, p. 395.

plane intellegitur quam fervida vehementia Athenagoras fratres contra istos defendat. Ex altera autem parte saepissime audiverat apologeta philosophis imperatoribus nequaquam istud hominum genus placere : qua nimirum causa incitatus est ut, de his principes alloquens, maximam audaciam praestaret. Ceterum tales calumnias non mirabatur, de quibus his asseruit aeternam divinamque illam legem, qua vitium singulis aetatibus cum virtute pugnat : « ἄνωθέν πως ἔθος καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῶν μόνον κατά τινα θεῖον νόμον καὶ λόγον παρηκολούθηκε προσπολεμεῖν τὴν κακίαν τῇ ἀρετῇ [1] ».

Qui vero essent in toto Romano imperio illi Christianorum delatores, aut num ubique iidem, quamvis nihil aptius foret ad docendum, perdifficile est finire : eos tamen non moribus probatissimos fuisse viros haud aegre conjicias. Diligentius ergo omnes Athenagorae locos, qui ad sycophantas spectent, perpendamus, ut tales homines, Athenis saltem, ubi nimirum vixit scriptor, accommodatius cognoscamus, quaerendo utrum isti in hac urbe, sicut Smyrnae aut Lugduni, ex allatis supra exemplis, incultae furentisque plebis fuerint, necne.



Indices quidem, de quibus queritur, flagitiosa permulta dictitare de Christianis, monere coepit Athenagoras, quos vivide ostendit « criminum acervum effundentes, κατασκεδάζοντες ὄχλον ἐγκλημάτων [2] ». In tanta autem colluvie philosophus noster, ordinis amantior quam illi, ut apparet, tres omnium gravissimas incusationes distinguit, in quibus refellendis totam suam, ut

1. P. 41, v. 20-22, cap. 31. — Cf. cap. 3, p. 4, v. 24-26. « Εἰ δὲ λογοποιίαι ταῦτα καὶ διαβολαὶ κεναί, φυσικῷ λόγῳ πρὸς τὴν ἀρετὴν τῆς κακίας ἀντικειμένης καὶ πολεμούντων ἀλλήλοις τῶν ἐναντίων θείῳ νόμῳ,... »
2. P. 2, v. 25-26.

vidimus, posuit apologiam, atheismum scilicet, incestus et homicidia. Aut potius his proximis criminibus doctiora nomina imponere solebant sycophantae, dicendo « Oedipodeas consuetudines et Thyesteas cenas », quod jam nos liquido praemonet tam erudito sermone calumniantes homines nullo modo plebi esse annumerandos [1].

Cur autem malae istae linguae tales effutiant criminationes, num ex Athenagora scire possumus? Hos insectatores Christianorum nec divitiis nec famae invidere, quas sciant parvi ab iis fieri, a primo capite confitetur Noster [2] : hoc autem perraro eveniebat cum damnatorum Christianorum pleraque bona, ut jam diximus, indicibus tradere mos esset [3]. Non cupiditate ergo, ut paene ceteri, Athenienses in Christianos incitabantur delatores, quod hos non e vulgo fuisse confirmare videtur. Nihilo vero minus quam inimicorum vitae invidebant : « Ἀλλ' εἰς τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχὰς ἐπιβουλεύουσιν ἡμῖν [4] ». Denique, ut uno verbo utar, *odio* impellebantur.

Hoc odium porro sub apologiae finem diligenter descripsit Noster, cum accusatores ostendit certa quaedam crimina in Christianos ideo intendentes « ut cum ratione, inquit, odisse sibi videantur et ratos fore ut aut nos pavore perculsos a nostro vivendi genere deterreant aut nobis acerbos et inexorabiles criminum immanitate reddant imperatores, ἵνα τε μισεῖν

1. Jam supra perspeximus hunc fabularem loquendi modum in Lugdunensis ecclesiae Epistula occurrere.

2. P. 2, v. 17-19 : « Οὐδὲ γὰρ εἰς χρήματα ἡ παρὰ τῶν διωκόντων ζημία οὐδὲ εἰς ἐπιτιμίαν ἡ αἰσχύνη ἢ εἰς ἄλλο τι τῶν μειόνων ἡ βλάβη (τούτων γὰρ καταφρονοῦμεν...) ». Sic intellego illa parum lucida verba : « οὐδὲ εἰς ἐπιτιμίαν ἡ αἰσχύνη ». quae Latine vertit Gesnerus (*Migne*, Patr. Gr. VI, 894) : « neque ad mulctam spectat inimicorum ignominia ». confusis vocibus ἐπιτιμίαν et ἐπιτίμια ; rectius autem transtulit *Otto* : « neque ad existimationem spectat inimicorum ignominia ». Hujus igitur sententiae, cujus singula quaedam sane subobscura sunt, universa vis omnibus perspicue apparet, eo magis quod huic opponitur illa, quam infra citaturus sum, sententia.

3. Sic ubique cum delatoribus tractare solebant, quod supra animadvertimus.

4. P. 2, v. 24.

νομίζοιεν μετὰ λόγου καὶ οἰόμενοι τῷ δεδίττεσθαι ἢ τῆς ἐνστάσεως ἀπάξειν ἡμᾶς τοῦ βίου ἢ πικροὺς καὶ ἀπαραιτήτους τῇ τῶν αἰτιῶν ὑπερβολῇ τοὺς ἄρχοντας παρασκευάσειν [1] », subtile quidem ignavumque odium, quod simul callidiores mentes improbosque prodit animos.

Ex his igitur istos *rationem*, λόγον sibi vindicare manifestum est, nimis in hoc ambitiosos. Itaque hoc ipsum peculiari raraque pertinacia haud semel urget Athenagoras : prius enim, in exordio quod supra citavimus [2], commendat imperatoribus « ne communi et *rationis experti* fama abripiantur, μὴ τῇ κοινῇ καὶ ἀλόγῳ φήμῃ συναπενεχθέντας... [3] », quod infra de atheismo iisdem fere verbis iterat : « μὴ τῇ κοινῇ καὶ ἀλόγῳ συναποφέρησθε γνώμῃ [4] ». Porro hoc crimen objicientes summo fastidio ob ignorantiam perstringit : « Plerique nobis atheismum exprobrantium *ne per somnium quidem noverunt quid sit Deus*, ignari neque unquam naturalem aut divinam doctrinam scrutati..., οἱ πολλοὶ τῶν ἐπικαλούντων ἡμῖν τὴν ἀθεότητα οὐδ' ὄναρ τί ἐστι θεὸν ἐγνωκότες, ἀμαθεῖς καὶ ἀθεώρητοι ὄντες τοῦ φυσικοῦ καὶ τοῦ θεολογικοῦ λόγου... [5] ». Dein cum isti Christianos ideo declarent atheos quod non eosdem appellent deos ac ceterae gentes, talem argumentationem « simpliciorem » ducit, « πάνυ αὐτοῖς εὐήθης λόγος [6] ». — Denique bis, ineunte Apologia, universa delatorum crimina « inconsultam famam, ἄκριτον φήμην » pronuntiat [7], pariterque, quae proprie ad mores pertinent, notat « inconsultam calumniam, ἄκριτος βλασφημία [8] », quod verbum summam vim habet a tali viro allatum, tanti judicium, sive τὸ κρίνειν aestimante.

1. P. 41, v. 16-19.
2. Ineunte capite III°.
3. P. 4, v. 9-10.
4. P. 12, v. 1.
5. P. 14, v. 7-9.
6. P. 15, v. 4.
7. P. 3, v. 5, et p. 4, v. 13.
8. P. 41, v. 28.

Mihi ergo manifestum est Athenagoram, pro solita sua comitate ac lenitate, nunquam tanta asperitate tantoque fastidio ostensurum fuisse quantopere accusatores judicio scientiaque carerent, si hi plebis fuissent : nam de eorum inscitia nullam excusationem affert, nullam misericordiam adhibet. At contra eum invehi liquet in homines qui, litteras philosophiamque profitentes, ignari tamen et ne ratiocinandi quidem periti sint, quo eorum jactantia molestior fit. Insuper animadvertas Nostrum, horum imperitiam vellicantem, non de cunctis, sed de plerisque (οἱ πολλοί)[1] aut etiam de quibusdam (παρά τινων)[2] sincere dixisse, quo aliquot saltem ex adversariis suam vituperationem effugisse videlicet significavit. Haec igitur omnia probare videntur Christianorum delatores Athenis fuisse potissimum e doctis eruditisque viris aut potius ex iis qui se tales esse contenderent.

*
* *

Mores vero istorum non majoris quam prudentiam aestimat Noster. Quorum notat ignavam crudelitatem, qua feris, ut vidimus, eos assimulat, « quippe jacentem vorant et validiores infirmioribus insidiantur, quod quid est aliud quam humana carne vesci? Καὶ γὰρ οὗτοι καταπίνουσι τὸν ἐμπεσόντα, ἐλαύνοντες ὁ ἰσχυρότερος τὸν ἀσθενέστερον, καὶ τοῦτό ἐστι σαρκῶν ἅπτεσθαι ἀνθρωπικῶν...[3] ». Hic sycophantarum in Christianos versa maxime agnoscitur atrocitas.

Cum quidem illi nequaquam credant post mortem aliam futuram esse vitam, iis saepe in ore sunt haec verba : « Co-

1. P. 14, v. 7. Pagina autem 4, v. 13, « τῶν πολλῶν » Latina voce « vulgi » verti potest.
2. P. 41, v. 28. Hoc verbum eo praestantius est quod verbis « τῶν πολλῶν » in superiore sententia insertis opponitur.
3. P. 44, v. 24-27. De hoc loco ejusque nonnullis verbis, cf. supra nostrum caput IV cum notis, p. 73.

medamus et bibamus, cras enim moriemur[1] ». Quin etiam se omnibus foedissimis turpant facinoribus; lectoris enim memoriae etiamnum adesse debet haec quam fecit Athenagoras descriptio, qua nulla apud eum vividior : nequitiae nundinae, turpitudinis deversoria *adolescentibus* oblata, illata pulcherrimis Dei operibus stupra, infandi puerorum amores, adulteria, omniaque illa flagitia, propter quae non dubitaverit apologeta indices istos meretricibus ipsis comparare : « Ἡ πόρνη τὴν σώφρονα [ἐλέγχει][2] ». Summa igitur ope enixus est ut ante principum oculos immensam vitiorum voraginem aperiret in quam istiusmodi homines praecipites ferebantur.

Eosdem autem, qui delationibus suis Christianos in jus trahere volunt, sollerter profert Athenagoras saepe imperatorum leges violare : illos non tantum his culpis indulgere, quas universa morum luxuria facilius tunc patiebatur, sed etiam tot prohibita legibus scelera admittere ut litibus impares sint principum proconsules[3]. Itaque cum in jus ipsi ob pessimos mores vocati essent, invidia nimirum impulsi, Christianos in vicem ob novam suam fidem vocare contendebant. Delatores igitur tot scelerum fuisse reos, gravis quidem affirmatio, ac penitus, antequam fidem obtineat, perpendenda : sed ea est scriptoris diligentia, ea viri probitas ut non liceat illud crimen inanibus illis probris aequiparari quae inimici saepius aliis alii objectare solent.

Istos ergo sycophantas, verbo jactantes, mente rudes, animo moribusque ignavos et perversos, non e vulgo fuisse, sed ex hominibus doctis habitis nunc, nisi me forte fallit animus, ferme probatum. At nobis aptius etiam discernere quaerentibus qui fuerint illi homines et quo nomine vocandi,

1. P. 13, v. 14-17.
2. P. 44, cap. 34. Consule exiens nostrum caput IV.
3. P. 44, v. 27 — p. 45, v. 3.

occurrit quidam clarior expressiorque locus, ubi per singula, nec sine joco, describuntur sueta delatorum negotia : « alii syllogismos resolvunt et amphibolias dissolvunt et etymologias exponunt, alii homonyma et synonyma [explicant] et praedicamenta et axiomata et quid sit subjectum et quid sit praedicatum... et his talibusque sermonibus se jactant laetitiam discipulis esse allaturos..., τῶν τοὺς συλλογισμοὺς ἀναλυόντων καὶ τὰς ἀμφιβολίας διαλυόντων καὶ τὰς ἐτυμολογίας σαφηνιζόντων ἢ τῶν τὰ ὁμώνυμα καὶ συνώνυμα καὶ κατηγορήματα καὶ ἀξιώματα καὶ τί τὸ ὑποκείμενον καὶ τί τὸ κατηγορούμενον.... εὐδαίμονας ἀποτελεῖν διὰ τούτων καὶ τῶν τοιούτων λόγων ὑπισχνοῦνται τοὺς συνόντας... ». Postea his Paganis qui tam subtiliter loquuntur, opponit Noster christianos illos artifices vel anus, qui non loquendo, sed agendo fidem suam demonstrant[1]. — Age, hac arguta ironia depictos homines proprio nomine demum appellemus : hos esse quosdam *rhetores*, *grammaticos sophistasque* manifesto patet.



Satis quidem constat quantum hoc hominum genus semper floruerit Athenis, ubi ingenii acumine, dicendi facultate, subtilitate investigandi, prava morum facilitate juvenes permultos ut auditores allicere soliti sunt. At vere sapientium ab improbatione et obtrectatione nunquam abfuerunt. V° enim et IV° ante Christum natum seculo istos, ut patet, Socrates, Plato, Euripides, sua quisque arte, insectati sunt.

Ex eo autem tempore Graeciae grammatici, sophistae, rhetores, ut quibusdam toties adhibitis Flacci vocibus vice mea partim utar, Romanos victores ceperunt et artes suas toti

1. Cap. 11, p. 12, v. 12, usque ad capitis finem.

Romanorum intulerunt imperio[1]. Deinde cum sensim increvit nova fides, pagani litterati, etsi deos suos plerique revera esse parum credebant, eosdem tamen, ut fit, vehementius quam cum maxime defendere et confirmare coeperunt, quasi totius antiquitatis manifesto labantis virtutem, vim, mores tali modo sustinerent. Praeterea adversus istos presbyteros seu doctores christianos infensissimi erant, qui sensim vel in privatis domibus, ubi ipsi erant paedagogi, vel in publicis ludis feliciores ipsorum aemuli evaderent et virorum mulierumve aut puerorum mentes magis atque magis sibi conciliarent[2]. Itaque, dum in summo loco principes, se rebus publicis coactos rati, mactari Christianos aut jubent aut sinunt, dum deorsum caeca plebs publicarum calamitatum causas in eosdem congerit, in medio litterati his atque illis socios se praebuerunt et acerrime quoque, quamvis aliis instincti rationibus, adversus invalescentem Christi doctrinam inierunt proelium.

Isti vero II° seculo maxima gratia apud principes Antoninos fruiti sunt, qui ingenuas artes, paganas scilicet, fulciendas et augendas omni ope curarunt; Antoninum enim Pium « rhetoribus et philosophis per omnes provincias et honores et salaria detulisse » docet Julius Capitolinus[3], nec quisquam nescit Marcum Aurelium, qui huic successit, haud aliter se gessisse : etenim a teneris unguiculis inter rhetores et philosophos crevit, quos summis usque prosecutus est hono-

1. Cf. Gaston Boissier, *La Fin du Paganisme*, t. I, lib. II, cap. 1, *L'Instruction publique dans l'empire romain*, praecipue § II, et Renan, *Origines*. t. VII, p. 40-41.

2. Cf. Celsum ap. Origenem III, 49, 50, 55, a Renan citatum (*Origines*, t. VII, p. 363, et p. 53 et 54), et S. Clementis Epistulam ad Cor., § 6, ed. Lightfoot (1890) : Christiani « διὰ ζῆλος παθόντες ». (Ζῆλος neutralis quaedam est forma quae perraro pro masculino nomine ζῆλος [accus. ζῆλον] reperitur, vide editoris *Lightfoot* notas, ibidem, et Pauli Apostoli Epist. ad Philipp. III. 6, in Graeca Novi Testamenti editione a *Gebhardt* anno 1890 data, cum Adnotatione critica in libri fine.)

3. *Antoninus Pius*, c. XI (non II, ut refert Duruy, *Histoire des Romains*, t. IV, p. 425, n. 1).

ribus, rhetores scilicet Frontonem et Herodem, philosophos Epictetum, Peregrinum, Junium Rusticum ceterosque[1], plurimam et eruditissimam turbam, bonis artibus tam imbutam quam erga Christianos odio. Quod ceteris apparuit indiciis et circa annum 163, cum idem Junius Rusticus, praefectus Urbis Aurelii gratia factus, Justinum, qui in secunda sua Apologia philosophum Crescentem lacessisset, cum sex aliis Christianis trucidari jussit[2]. Philosophi autem adversus Christianos quemadmodum alii flagellis gladiisque utebantur, humaniores alii opera exarabant, qualis Celsus ille qui circa hunc annum 177, ubi scripsit Athenagoras, callidissimum contra eos libellum « Discursum verum » Graece edidit, propter quem omnium Christi religionis inimicorum quasi patronus jure appellari possit[3].

In illo autem vasto paganorum eruditorum cum Christianis commisso proelio[4] Athenas non parvas tenuisse partes facile suspiceris, eo magis quod plurimi in hac urbe grammatici, rhetores, philosophi versabantur et docebant : quibus annumerandi sunt Theodotus, Lollianus, Hadrianus rhetor. Principem vero locum, omnium consensu, obtinebat Herodes Atticus rhetor ille Graecus, qui, postquam Marci Aurelii praeceptor fuerat, ab eodem publicis honoribus ornatus, Athenis consederat, ubi cum immensis divitiis[5] tum eloquentia summam sibi paraverat gratiam : ipsum sectabantur plurimi discipuli

1. Cf. Renan, t. VII, p. 33 sqq.
2. Consule supra caput I[um].
3. Vide Origenem *Contra Celsum*. — Novissime *Harnack* Celsi scriptum posuit inter annos 176 et 180 (*Die Chronologie der altchristlichen Litteratur bis Eusebius*, 1[er] Band, Leipzig, 1897. Chronologica Tabula, in fine).
4. Sequentibus quidem seculis, cum paganis rhetoribus et doctoribus pugnaverunt Christiani, rhetoricam et philosophiam saepius ipsi profitendo : itaque edixit Julianus imperator ne christiani viri veteres litteras aut discerent aut docerent (Lege hujus historiam apud nostrum G. Boissier, *La Fin du Paganisme*, t. I, cap. III). Nihilominus V° seculo eximii rhetores apud Christianos exstiterunt, qualis Claudius Marius Victor, de quo doctam eamdemque elegantissimam disputationem Latine edidit, ad gradum doctoris promovendus, Parisiensis professor *Auguste Bourgoin* (Hachette, 1883).
5. Quibus monumenta fundabat.

seu Graeci seu Romani, quales notissimi Aulus Gellius et Apuleius; ipsum auditura concurrebat erudita Atheniensium plurimorumque hospitum multitudo, praesertim quotiescumque palam ille contendebat cum externo aliquo aemulo, sicut cum Alexandro Ciliciano, circa annum 170, in theatro[1]. Nam doctissima illa urbs semper disciplinarum arx et refugium, semper generis humani schola permanebat.

Quod optime intellegentes Antonini ei potissimum faverunt : Hadrianum scilicet imperatorem ibi manere splendidaque exstruere aedificia vehementer delectavit[2]. Marcus autem Aurelius in itinere quod fecit Athenas ipso anno 177, sicut ait Dio Cassius, « dedit Atheniensibus honores, cunctis hominibus magistros, qui Athenis cunctas disciplinas docerent, annuam recipientes mercedem, ἔδωκε μὲν τοῖς Ἀθηναίοις τιμὰς, ἔδωκε δὲ καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις διδασκάλους ἐν ταῖς Ἀθήναις, ἐπὶ πάσης λόγων παιδείας, μισθὸν ἐτήσιον φέροντας[3] ». Primum enim ab Herode Attico, cui plurimas, vel tres quotidie epistulas scribere solebat[4], Eleusina mysteria sibi tradi jussit[5]; dein rhetorem Hadrianum, qui jamdiu rhetoricam publico sumptu docebat, ipse inspicere voluit quid valeret, eumque, cum feliciter respondisset, muneribus cumulavit[6]. Immo huic quattuor publicos addidit magistros, qui quattuor maximas philosophiae doctrinas traderent, Platonicam scilicet, Peripateticam, Epicuream, Stoicam; ipse eos, auctore Herode, designavit, omniumque in imperio magistrorum mercedem ad decem millia drachmarum provehendam instituit[7].

1. De Herode Attico vide opus quod de eo scripsit, ad doctoris gradum promovendus, noster PAUL VIDAL-LABLACHE, *Hérode Atticus, Étude critique sur sa vie*, Paris, Thorin, 1872, praesertim c. 10.
2. Cf. RENAN, *Origines*, t. VI, p. 34-37.
3. Hist. Rom. l. LXXI, c. 31.
4. *Vidal-Lablache*, op. cit., p. 154.
5. Dio Cassius, loco cit.; Julius Capitolinus, *M. Antoninus Philosophus*, c. XXVII; *Vidal-Lablache*, p. 154.
6. *Vidal-Lablache*, p. 155, 156.
7. Luciani *Eunuchus*, § 3, et *Vidal-Lablache*, p. 155. Haec drachmarum decem

Itaque apud plerosque illos doctores et sophistas maxime increvit arrogantia et Christianorum obtrectatio, quos aegre videbant ipsis ipsorumque doctrina diffidere, et, heu gravius! juvenes contra periculosas ipsorum illecebras defendere. Proinde, turpi, sed quae intellegitur, invidia compulsi, Christianos adolescentibus, plebi, magistratibus maxime flagitiosis calumniis pertinacius quam unquam deferre coeperunt. Hic, circa medium annum 177, ad illos sophistas refellendos processit Athenagoras, quos optime noverat, quippe qui, antequam novam amplexus est fidem, eorum discipulus ac fortasse etiam collega stetisset[1].

Illud autem defensionis exsequendo munus, pro fide sua contra alteram propugnabat; sed simul, si minores licet cum majoribus indagare causas, fastidium, quod jamdiu conceperat, de istorum puerili et dicendi et scribendi et docendi genere suo ipsius generi prorsus contrario liberius effundebat : illi enim rhetoricam fovent et docent, hic eamdem odit et fugit; hic rebus, illi verbis modo delectantur, quod Frontonis operibus *Atticisque* Auli Gellii *Noctibus* satis confirmatur[2].

Praeterea, sophistas perstringere aggressus Noster, se priscorum sapientiae doctorum Socratis et Platonis vestigia premere conscius erat, quorum non solum doctrinam, verum etiam habitum sic sibi adsciscebat. — Magistrum quoque suum Justinum imitabatur, qui Romanum philosophum Crescentem, ut vidimus, lacessere non dubitaverat; hujus autem exemplo monitus, ipse minus fortem quidem sed callidiorem se prae-

millia circiter decem millibus *francorum Gallicorum* constant. — Cf. RENAN, *Origines*, t. VII, p. 37. et HERTZBERG, *Histoire de la Grèce sous la domination des Romains*, versio *Bouché-Leclercq*, t. II, p. 413.

1. Vide supra caput II[um]. Saepissime ipsi rhetores inter se alter alteri invidebant, sic cum Theodoto necnon cum Aelio Aristide et cum aliis etiam luctatus est Herodes, consule *Vidal-Lablache*, op. cit., cap. VIII, et p. 150 sqq., et passim.

2. Cf. HINSTIN. *Les Romains à Athènes*. Paris, Thorin, 1877, p. 204 sqq. : *Les R. à A. sous l'Empire*.

buit, nam istorum nomina operi suo inscribere noluit, eorum moribus et quasi facie ad vivum descriptis contentus. Nec commisit ut ad eos directo responderet, quasi non digni essent ut honesti viri cum iis colloquerentur, verumque libera mente recipere jam nequirent. Quamobrem ad summos duces, ad imperatores scilicet se vertit, qui Christianorum sortem in manu haberent : eos porro saepissime audierat vere philosophos esse. Cum igitur ii delatoribus parum, multum rhetoribus studerent faverentque, rhetores Athenis saltem eosdem esse ac delatores, et hujus generis deterrimos, principibus denuntiare Athenagorae succurrit; itaque istos sycophantas mente pusillos, doctrina subtiliores, ignavos animo, moribus pravissimos, adolescentibus perniciosos, Marco Aurelio Commodoque deferre, quasi delator et ipse sed justa de causa, merito constituit.

CAPUT VI

Quibus verbis imperatores Marcum Aurelium Commodumque Athenagoras in Legatione sua sit allocutus.

Num Athenagoras adulator fuerit.

I. — Laudat imperatorum mentes et mores. Hae laudes argumentorum modo adhibentur [p. 97]. —

II. — Imperatores continua Legatione respicit [p. 102]. — Perorando principibus affirmat pro iis Christianos precari [p. 104].

De hoc Christianorum tradito more Pauli Apostoli, S. Clementis, Theophili, Tertulliani testimonia [p. 105]. — Quas causas pro imperatoribus precandi attulerit Athenagoras [p. 107].

Nimis confisus est videlicet Noster utrique principi, namque neuter ab apologetis videtur esse permotus [p. 108].

In Athenagorae Apologia, quam per singulas partes supra expendimus, verba quaedam saepe reperimus, quibus principes ipsos Marcum Aurelium Commodumque filium affatur, honorifice quidem et obsequenter : quam ob causam a nonnullis eruditis viris incusatus est Noster quod erga diros istos christianae fidei vexatores nimiam praestitisset lenitatem, immo adulatoris munere functus esset. Omnes igitur illas Legationis partes, prius laudes scilicet quas imperatoribus tribuit scriptor, deinde ceteros locos quibus eosdem alloquitur, libera attentaque mente vicissim perspiciamus ut discernamus utrum justum sit tale crimen necne.

I

Haud unum quidem christianum scriptorem, II° post Christum natum seculo, Apologiam suam principibus misisse Antoninis, sic Marco Aurelio Justinum, Miltiadem, Melitonem, Apollinarem jam ineunte hoc opusculo diximus [1]. Tale exemplum secutus est Athenagoras, qui hoc consilium ab initio protulit in praestanti eademque brevi illa dedicatione, operis fronti inscripta, et jam lectori bene nota :

« Αὐτοκράτορσιν Μάρκῳ Αὐρηλίῳ Ἀντωνίνῳ καὶ Λουκίῳ Αὐρηλίῳ Κομόδῳ Γερμανικοῖς Σαρματικοῖς, τὸ δὲ μέγιστον Φιλοσόφοις [2]. »

Duplici quidem illo triumphorum titulo, Γερμανικοῖς Σαρματικοῖς, Marcum Aurelium voluit Noster difficillimarum commonere victoriarum, quibus, juxta ripas Istri, post tam diuturna bella, post tot rerum angustias, Martem diutius ancipitem sub Romanis aquilis demum defixerat. His autem vocibus « τὸ δὲ μέγιστον Φιλοσόφοις » declaravit se philosophiae studium pluris facere quam armis parata et cruore empta tropaea, et ad Marcum Aurelium Commodumque non tam ad terrarum dominos quam ad philosophos philosophum se quondam ethnicum, nunc christianum, quasi ad collegas venire. Idem confirmat haud semel in reliquo opere, dum principes singulari quidem laude prosequitur, « quasi a philosophia disciplinaque omni irruentes, ὡσανεὶ ἀπὸ φιλοσοφίας καὶ παιδείας πάσης ὁρμώμενοι [3] », eosque iterum hoc prorsus egregio appellat nomine « βασιλεῖς φιλόσοφοι [4] ».

Porro amborum imperatorum, quos in universum ut

1. Cap. I.
2. *Schwartz*, p. 1. Cur pro Ἀρμενιακοῖς vox Γερμανικοῖς legenda sit, sub finem nostri II[i] capitis, p. 25, fuse explicavimus.
3. P. 3, v. 18-20.
4. P. 12, v. 12.

philosophos celebrat, mentis animique dotes percenset, quibus illos ad christianam apologiam exaudiendam paratissimos fieri putat. Namque vicissim eorum saepe laudat ingenium, id est raram illam prudentiam, ἡ σύνεσις, per quam prius feliciter callideque regnent [1], dein, quod philosophiam attinet, recte ratiocinentur [2] vel res novas facile perspiciant [3] aut parum explicatas excutere quaerant [4]; praeterea veri amorem, τὸ φιλάληθες [5] doctrinaeque studium, τὸ φιλομαθές, propter quae ceteris regibus, immo hominibus longissime praestent [6].

Quae autem apud eos illi tam egregiae apte respondeat naturae, eruditionem, ἡ παιδεία, qua imbuti sunt, summis effert laudibus : hos enim quovis doctiores esse [7], nec minus in quaque parte excellere quam illi qui hoc unum calleant [8]; sic maximas leges penitus scire quae humano praesint generi [9], antiquisque rebus tam eruditos esse ut sive Graecas sive Aegyptias de diis fabulas explicare possint [10]; quin etiam, eosdem tam peritos esse ut iis Moyses, Isaias, Jeremias ceterique Veteris Testamenti Prophetae dubio procul haud inauditi sint [11]. Ut modo ad christianam doctrinam, quam nimirum nesciunt, cunctas illas mentis virtutes convertant, spe plenus, orat apologeta : solum enim « propter *inscitiam*, πρὸς ἀγνοίας » in Christianos saevire principes conjicere videtur Athenagoras, quem hic diligenter Platonis vestigia premere patet [12].

1. P. 2, v. 6-7.
2. P. 29, v. 3, et p. 41, v. 31.
3. P. 8, v. 18.
4. P. 11, v. 7. Adde etiam p. 6, v. 24. Haec enim laus etiam sexies in opere occurrit.
5. P. 4, v. 11.
6. P. 3, v. 7; p. 4, v. 11; p. 10, v. 6.
7. P. 18, v. 10-12 et passim.
8. P. 6, v. 24 — p. 7, v. 2.
9. P. 41, v. 19-22. Hic enim, dum dicit (εἰδότας), imperatoribus prope certo alludit scriptor.
10. P. 27, v. 29 — p. 28, v. 7.
11. P. 10, v. 5-8.
12. P. 4, v. 11-14. Cf. p. 39, v. 21, de hominibus diis habitis : « πονηροὶ

Mores quidem imperatorum Nostro videntur non minus apti esse ad benevolentiam Christianis sperandam : eorum enim mansuetudinem et lenitatem, τὸ πρᾶον καὶ ἥμερον[1], modestiam, ἡ μετριότης[2], pacis in omni re studium, τὸ πρὸς ἅπαντα εἰρηνικόν[3], ac super omnia *humanitatem*, τὸ φιλάνθρωπον, ad quam pluries redit, hac ceteris regibus illos imperatores praecellere dicens[4], passim memorat et praedicat. Alias collaudat eorum tum erga privatos justitiam tum erga subditas omnes gentes aequitatem et munificentiam, cum eas cujusque generis beneficiis cumulent propriisque legibus, moribus, ritibus frui sinant[5]. Immo principes religione sua, etsi pagana, tam prudenter fungi videt ut apud eos vel « in verum numen pietatem, ἡ περὶ τὸ ὄντως θεῖον εὐσέβεια » agnoscere non dubitet[6].

Has autem et tales virtutes, quae praecipue ad mentis prudentiam et ad disciplinam et ad humanitatem referuntur, liquido Noster arbitratur philosophiae esse fructus, tam bona in eo est philosophiae verorumque philosophorum opinio, et singula illa obiter persequendo nihil nisi explicat quod operis dedicationi prius strictim inscripsit, ubi imperatores « philosophos » compellare coepit. Quin etiam his super omnia « humanitatem » tribuit, qua Christianos ipsos potissimum excellere declarat[7].

δι'ἀμαθίαν ἦσαν ». — Illam de imperatoribus Athenagorae sententiam confirmat *Renan*, dum conjicit Marco Aurelio sub oculos nullum Euangelii textum venisse (*Origines*, t. VII, p. 55). Sed num potuit effici, quod hic supponit eruditus, ut ei vel Christi nomen inauditum fuerit? — De imperatorum institutione (ἡ παιδεία) vide etiam p. 3. v. 18-20, p. 47, v. 1, ubi collecta sunt superiora omnia : « πάντα ἐν πᾶσι φύσει καὶ παιδείᾳ χρηστοί.. », etc.

1. P. 2, v. 3-4.

2. P. 47, v. 2. « μέτριοι ».

3. P. 2, v. 4.

4. P. 2, v. 4; p. 3. v. 6-7; p. 47, v. 2. — P. 40, v. 21-22, Athenagoras Aurelii Commodique antecessorum, Hadriani scilicet et Antonini erga subjectos φιλανθρωπίαν laudat.

5. Totum caput 1 et passim.

6. P. 8, v. 18-20.

7. Cap. 12, p. 13, v. 26 sqq., « φιλανθρωπότατοι... ».

Unde fit igitur ut talibus dotibus praediti imperatores non faveant Christianis? nam qui tot doctrinis tanto studio operam dederint, cur christianam doctrinam ab aliquo philosopho expositam philosophi ipsi non noverint? Praeterea, qui toti terrarum orbi beneficia, pacem, libertatem condonare non desinant, nonne eadem lenitate Christianos habere non debeant? Hoc sincere ratiocinatur Athenagoras idemque tota Apologia sua imperatoribus ipsis acute demonstrare nititur.

Ergo illas imperatorum laudes, quas passim in toto opere sparsas sedulo recollegimus, ipsas veram continuamque argumentationem esse neque ullo modo blandiendi causa esse adhibitas, haud infitiandum puto. Facile enim animadvertere possis vacuas tritasque laudes, neque ad propositum idoneas, sed solum obsequii gratia datas, hic aut perraras aut nullas esse[1].

At dicet aliquis praeconia illa, quemadmodum utilia ac sincera, sic nimia esse erga Marcum Aurelium ac magis etiam erga Commodum, qui ambo, ut omnibus constat, tam dire Christianos vexaverint.

Sed prius, quod ad Aurelium spectat, quam deditus philosophiae fuerit qui 12° vix anno philosophorum induerit pallium, tam vulgatum est ut, ad id ostendendum, ulla documenta afferre omnino supervacuum mihi videatur[2] : id vero quod summis optaverat votis unus ex antiquioribus Athena-

1. Solas tales reperi verbum μέγιστοι, p. 3, v. 6; p. 4, v. 9; p. 20, v. 3. Nam voces τῆς βασιλείας ἄξιοι (p. 47, v. 2) nihil nisi supra dictarum laudum summa habenda est, ac silentio praetermittenda mihi videtur haec levissima laus de publicis ludis a principibus celebratis : « Τίς οὐχὶ τῶν περὶ σπουδῆς τὰς... ἀγωνίας... καὶ μάλιστα τὰς ὑφ' ὑμῶν ἀγομένας ἔχει : » (p. 45, v. 16-18), eo magis quod addit Christianos his sponte abstinere. (Lectionem ab *Otto* propositam admitto potius quam textum a *Schwartz* collatum (οὐχ ἡ) quod nullum praebere sensum mihi videtur.)

2. De hoc lege Duruy, *Histoire des Romains*, t. IV, p. 435-480, et Renan, *Origines*, t. VII, *Marc-Aurèle*, potissimum caput I, *Avènement de Marc-Aurèle*, et caput III, *Le Règne des Philosophes*.

gorae magistris, Plato scilicet, ut philosophi reges fierent, re ipsa hac aetate eveniebat. Insuper, crudelissime Christianos Lugduni, mense Augusti anni 177, vexatos fuisse Nostrum nondum audiisse supra perspeximus [1]. Jam quidem antea in Christianos erat saevitum, nec pauci jam martyrium passi : haec vero a proconsulibus commissa potius quam ab imperatoribus jussa esse prudenter intellegebat Noster; hos etiam noverat a longinquo legatis suis modestiam commendare, immo vehementer, ut superiore exposuimus capite, in Christianorum delatores animadvertere, adeo ut, paucis post annis, Tertullianus Marcum Aurelium « gravissimum imperatorem » et Christianorum « protectorem » declaraturus sit [2], cumque « bonum et magnum, ἀγαθός τε μέγας τε » praedicaturus sit christianus vir quidam III° seculo scribens [3].

Quod autem Commodum attinet, cujus nomen nunc tam male sonat ut unus e deterrimis imperatoribus et e saevissimis Christianorum insectatoribus jure habeatur, eumdem reputemus anno 177, vix sedecim annos natum, tantum eminere suo philosophiae studio ut modo praenuntiare videretur se paternae cum virtuti tum gloriae esse successurum [4].

Utrique igitur principi magnas, immo maximas laudes lubenter tribuisse Athenagoram plane intellegitur, qui a caecis et ineptis delatoribus magistratibusque ad philosophos imperatores totis viribus provocare niteretur.

1. Cap. II. p. 27.
2. Apol. 5. Cf. Eus. V, v, 3 sqq. (ap. Renan, t. VII, p. 59 et n. 1).
3. Carm. sib. XII, 187 sqq. (ib.)
4. Hunc puerum Marci Aurelii Faustinaeque vivam imaginem reddidisse refert Fronto, ad Marc. Ant. I, 3 (ap. ALLARD, *Persécutions*, p. 534). — Commodo Melitonem quoque vota fecisse animadvertendum est (Eus. Hist. Eccl., IV, 26 (7).

II

Quidquid id est, Marcum Aurelium Commodumque Athenagoras, dum Apologiam persequitur, a carceribus ad calcem nunquam non respicit : eos quidem haud semel compellat ut aliquas iis commendet argumentationes[1], aut quaedam ab illis sibi objici fingit[2]. Quotiescumque tamen paganam confundit doctrinam, non imperatores refellendos, sed potius ethnicos theologos, quales veteres poetas, cautissime curat[3] : summa enim comitate declarat non pagana illa quae principibus probata sint redarguere sibi in animo esse, sed tantum calumnias Christianis illatas, adeo non committit ut eos offendat[4]. Quin etiam, magnopere pertimescit ne iisdem aliquid taedii afferat (ἐνοχλεῖν), dum materiam his sive notam sive novam tractat : in nonnullis enim argumentationibus, ubi ab eo antiquitatis plures auctores vel doctrinas allatas esse vidimus, ob talem eruditionem se apud principes excusat, qui illam penitus notam ipsi habeant, immo propter hos argumentationem interdum stringit et contrahit. Haud alio modo, cum christianam aperit doctrinam, expositionem suam parce metitur ne quod forte fastidium imperatoribus incutiat; exempli gratia, postquam Sanctam Trinitatem diligenter descripsit futurumque Dei judicium, sistit orationem, ut jam diximus, principes commonens : « haec nihil nisi parva esse e magnis et pauca e multis, ταῦτα μὲν οὖν μικρὰ ἀπὸ μεγάλων καὶ ὀλίγα ἀπὸ πολλῶν, ἵνα μὴ ἐπὶ πλεῖον ὑμῖν ἐνοχλοίημεν, — mel enim, ut superaddit, et lactis serum gustantes e parte exigua rem totam aestimare

1. P. 18, v. 7; p. 20, v. 11-12.
2. P. 29, v. 3-6.
3. Cap. 20 (potissimum initio); cap. 21 (potiss. initio εἰ... μόνον ἔλεγον); cap. 22 (potiss. sub finem).
4. P. 20, v. 4-6.

solent[1] »; nullam videlicet ob aliam causam, neque etiam propter « arcani disciplinam », Athenagoras, qui tantam Apologiae suae partem exponendae Christianorum de Deo doctrinae dedit, gravissimum Incarnationis mysterium omnino praetermisit[2] : ethnicorum scilicet principum vires hic doctor superare nolebat, sed iis modo novae fidei studium incutere. Hac certo cura, quae continua Legatione sentitur, explicare possis cur permulta in ea sive adsint sive absint. Solum nos animadvertamus quam artem et prudentiam protulerit Athenagoras, dialecticam suam iis quasi summittendo, quo mollius imperatores ad se et ad fidem suam adduceret[3].

Altera autem via utitur ut alliciantur imperatores faciliusque eorum oculis res appareant; plures scilicet similitudines, ceterum in toto opere fere solas, a solito ipsorum vitae habitu sumit. Sic a principibus postulat ut haud secus ubique judicentur Christiani ac rei qui in jus ab ipsis vocantur[4]. Porro quicumque mundi ordinem mirantur nec tamen ideo hujus auctorem, Deum adorant, Nostro imaginem reddunt illorum subjectorum qui, dum imperatores adeunt, in eorum contemplandis aedibus haererent, nec jam dominos, quorum beneficiis indigerent, respicerent. Attamen jure apologeta imperatorias illas aedes a divinis in hoc distinguit quod Deo suis aedibus non opus est[5]. — Immo Marci Aurelii filiique Commodi potentiae, quam de supero acceperunt, Dei Patris Verbique potentiam conferre non dubitat[6]. — Denique cum libere agendi facultatem hominibus inesse affirmat, huic

1. P. 14, v. 4-7. — Praeter hoc, p. 27, v. 29-30, et p. 6, v. 22 — p. 7, v. 5; p. 31, v. 12-14; p. 41, v. 29 sqq., etc.

2. Fortasse ob hanc eamdem causam Noster quoque de Eucharistia tacuit, cf. supra cap. IV^{um}, p. 74.

3. Addas quoque p. 12, v. 10-12; p. 20, v. 2-12; p. 33, v. 1-6; p. 35, v. 17-18 p. 47, v. 2-5, et passim.

4. P. 3, v. 20-24, et v. 11 sqq.

5. P. 16, v. 27 — p. 17, v. 6.

6. P. 20, v. 7-11. Hoc paulo infra diligentius explicabo.

opinioni suscribere declarat imperatores ipsos, qui praemiis bonos viros vel poenis improbos afficiant; item, dum angelorum historiam explanare vult, quorum quidam commisso defuerunt muneri, principibus exemplum ponit illorum hominum, quorum, postquam aliquam iis fidem ipsi habuerunt, alii dignos, indignos alii tali fide se praestent [1].

Postremo, ad flectendos imperatores non obliviscitur Athenagoras eos commonere quam obedientes principibus sint Christiani. Ineunte quidem Apologia fratres suos asserit « erga numen imperatoriumque regnum omnium piissime justissimeque sentire, πάντων εὐσεβέστατα διακειμένους καὶ δικαιότατα πρός τε τὸ θεῖον καὶ τὴν ὑμετέραν βασιλείαν [2] ». Porro, ultra progressus, postulat ut « ipsi quaestionem exerceant de studio et obsequio Christianorum erga se suamque domum et imperium, πρὸς ὑμῶν λοιπὸν ἐξέτασιν ποιήσασθαι... τῆς πρὸς ὑμᾶς καὶ τὸν ὑμέτερον οἶκον καὶ τὴν βασιλείαν σπουδῆς καὶ ὑπακοῆς [3] ». Denique imperatoribus in exordio supremum vale immittit aut potius supremum iis argumentum adhibet, quod hactenus sepositum ac reconditum habuerat : namque affert preces illas quas novae religionis fautores pro imperatoribus fundunt; quare gravissima haec verba ad unum rescribere perutile mihi videtur : « Quinam justius ea quibus indigent impetrarent quam qui pro imperio vestro precamur ut, filius a patre, justissimo more, regnum accipiatis et, omnibus rebus subjectis, incrementum complementumque capiat vestrum imperium? Τίνες γὰρ καὶ δικαιότεροι ὧν δέονται τυχεῖν ἢ οἵτινες περὶ μὲν τῆς ἀρχῆς τῆς ὑμετέρας εὐχόμεθα ἵνα παῖς μὲν παρὰ πατρὸς κατὰ τὸ δικαιότατον διαδέχησθε τὴν βασιλείαν, αὔξην δὲ καὶ ἐπίδοσιν καὶ ἡ ἀρχὴ ὑμῶν, πάντων ὑποχειρίων γιγνομένων, λαμβάνῃ; [4] ».

1. P. 32, v. 11-16.
2. P. 2, v. 10-11.
3. P. 4, v. 28-30.
4. P. 47, v. 5-9. — « Παῖς παρὰ πατρός ». His verbis repudiatum esse ab

*
* *

At mirifici quidem et incredibiles forsitan videbuntur tales Christianorum sensus erga imperatores qui eos vexari et occidi jubebant aut sinebant; eo magis quod preces ab Athenagora relatae pro insectatoribus non ad hanc rem dicerentur ut veram isti amplecterentur fidem, sed modo ut terrenis bonis omnibus florerent. Nonne igitur has preces a Nostro fictas esse ad ornandam orationem et ad sustinendam causam quam tanta egit opera, merito suspicari licet? Hic saltem adulationis, etiam mendacii convinci possit.

Illos vero sensus plerosque Christianos primis seculis concepisse et professos esse, talesque pro imperatoribus preces in communi omnium Ecclesiarum usu jamdudum fuisse, plurima confirmant documenta. Jam Paulus Apostolus, cum totiens ipse, ut constat, vexatus esset, suis tamen fratribus praedicaverat « non esse potestatem nisi a Deo [1] », iisdemque praeceperat ut « principibus et potestatibus subditi essent [2] ». Hoc autem fusius in prima ad Timothaeum Epistula sic explicandum curaverat : « Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus; pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt. ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate... [3] ». Quod consilium usque secuti sunt veteres

Athenagora, tanquam a Melitone (Eus., Hist. Eccl. IV, 26) et a plerisque hujus aetatis viris illum adoptionis morem, qui tot egregios tamen fructus abhinc 80 annos tulisset, monet Allard (*Persécutions*, p. 434) : at ipsae Athenagorae voces nonne de adoptivis quoque filiis possint intellegi?

1. Rom. XIII, 1.
2. Tit. III, 1.
3. I Tim. II, 1 et 2. Superaddit quidem : « Hoc enim bonum est, et acceptum coram salvatore nostro *Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* ». — Hi Pauli loci in contrarias partes 17° seculo distracti sunt a Protestantibus, qui sibi in omnibus parendum esse catholicis principibus negabant et a Meldensi episcopo qui iis respondit (Bossuet, *Cinquième Avertissement sur les Lettres de M. Jurieu*).

Christiani. Nam, exeunte I° seculo [1], Romae episcopus, sanctus Clemens retulit precationem quamdam quam suae aetatis Christiani illi, qui atroces a Nerone et Domitiano jussas persecutiones passi erant, pro imperatoribus recitare solebant; hujus quidem, qua simpliciter et elate se principum auctoritatem utpote illis a Deo ipso datam agnoscere profitebantur, mediam partem hic perlubenter proferimus : « ... Tu, here, dedisti eis regni facultatem per tuam magnificam ineffabilemque potestatem, ut nos, qui famam et honorem a te eis data noverimus, eis summittamur, voluntati tuae nihil obstantes : da eis, Domine, valetudinem, pacem, concordiam, firmitatem, ut principatum a te eis datum nullo casu exerceant... Σὺ, δέσποτα, ἔδωκας τὴν ἐξουσίαν τῆς βασιλείας αὐτοῖς διὰ τοῦ μεγαλοπρεποῦς καὶ ἀνεκδιηγήτου κράτους σου. εἰς τὸ γινώσκοντας ἡμᾶς τὴν ὑπὸ σοῦ αὐτοῖς δεδομένην δόξαν καὶ τιμὴν ὑποτάσσεσθαι αὐτοῖς, μηδὲν ἐναντιουμένους τῷ θελήματί σου· οἷς δὸς, Κύριε, ὑγείαν, εἰρήνην, ὁμόνοιαν, εὐστάθειαν, εἰς τὸ διέπειν αὐτοὺς τὴν ὑπὸ σοῦ δεδομένην αὐτοῖς ἡγεμονίαν ἀπροσκόπως [2]... ».

Porro, ipsius Athenagorae aetate, Theophilus, Antiochensis episcopus in Epistula ad Autolycum declarabat « se imperatorem honorare, non eum adorando, sed pro eo precando, εὐχόμενος ὑπὲρ αὐτοῦ », dum quemdam Proverbiorum versum commentatur : « Time Dominum, fili mi, et regem, Et cum detractoribus non commiscearis [3] ».

Nonne autem Tertullianus mox in Apologetico suo fuse descripturus erat preces a Christianis « pro salute imperatorum » dictas ad Deum, « a quo sunt secundi, post quem

1. Circa 93-95 annos (*Batiffol*, p. 12).

2. S. Clementis ad Corinthios Epistula, cap. LXI. *Saint Clement of Rom*, editio *Lightfoot*. London, 1890. t. II, p. 179 In his solis ambabus sententiis vel ter declaratur imperatoribus a Deo potestatem esse datam. Idem in reliquo etiam bis occurrit, ad summam quinquies. — Totam precationem, nuper inventam, si lubet, infra, III^a nostra Appendice, cum Gallica versione legas.

3. Theophilus I. 11. — Prov. XXIV. 21.

primi »? « ... Precantes sumus, inquit, omnes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis probam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis et Caesaris vota sunt [1].... »

Erant quidem inter Christianos qui in Romam, imperium, imperatores exsecrarentur; quorum sensibus respondebant tum Apocalypsis et Pseudosibyllinorum oraculorum libri, tum inexorabilis apologeta Tatianus. Hi autem multo pauciores erant. Nam plerique optimos cives se praestabant, magno animo parentes mirandis divini conditoris ipsius praeceptis : « Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari [2] », aliasque : « Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et *orate pro persequentibus* et calumniantibus vos [3] ».

Illum igitur benignissimum pro imperatoribus orandi morem vice sua commemorat Athenagoras, qui propriorum Pauli verborum se meminisse plane ostendit : Apostolum enim vidimus pro principibus orationes ideo Christianis praecepisse « *ut quietam*, inquit, *et tranquillam vitam agamus* in omni

1. Cap. 30; cf. 31-33. Adde ejusdem Ad Scapul., c. 2; Cyprian. lib. ad Demetrianum et Acta pass.; Origen. l. VIII; Arnob. sub finem libri IV; Euseb. VII, 1, 11; VIII, 17, Append. ad l. VIII, 8; X, 8; de Vita Constant. I, 15 et 17, Prudent. in Romano, hymn. XIV, 426 et Peristeph. X, 417-420, etc.... (ap. Kortholtum, l. III, c. VI, III). Cf. Melitonem, qui Romani imperii fata cum Ecclesiae fatis simul conjuncta esse et bonos principes, Antoninos scilicet plerumque erga Christianos benevolentiam ostendisse in Apologia sua animadvertit. — De hac materia legas Mangold, *De Ecclesia primaera pro Cæsaribus ac magistratibus Romanis preces fundente*. Bonn, ap. Georg, 1881. — Ob haec omnia documenta nullo modo probare possumus illam affirmationem quam in universum ac ceterum sine testimoniis attulit Renan, *Origines*, t. VII, p. 63 : « Les chrétiens désiraient, au fond, que tout allât pour le plus mal. Loin de faire cause commune avec les bons citoyens et de chercher à conjurer les dangers de la patrie, les chrétiens en triomphaient. »

2. Matth. XXII, 21; Marc. XII, 17; Luc. XX, 25.

3. Matth. V, 44, in Montana oratione. Haecce praecepta haud semel imperatoribus ab ipso Athenagora citata comperimus. Iisdem allatis Tertullianus (loco citato), qui fratres pro imperatoribus precari solere asseruit, se argute a crimine adulationis mendaciique liberabat.

pietate et castitate, ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι[1] ». Haud aliam vero Noster in exordio affert causam precum illarum de quibus loquitur, et iisdem fere verbis : « Hoc autem nostra refert, *ut quietam et tranquillam vitam agamus*, et ultro ipsi jussis omnibus alacriter pareamus. Τοῦτο δ' ἐστὶ καὶ πρὸς ἡμῶν, ὅπως ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγοιμεν, αὐτοὶ δὲ πάντα τὰ κεκελευσμένα προθύμως ὑπηρετοῖμεν.[2] — ». Alteram vero graviorem altioremque causam jam medio opere dederat, eamdem quidem quam plerique qui eum antecesserant Christiani, imperatoribus scilicet se propterea obsequium suum ac preces ingenue tribuere, quoniam ipsos Dei reddere imaginem et a Deo constitutos esse existimet. Hic quoque Pauli meminisse videtur, aut potius hoc locutus, haud aliter ac Theophilus Antiochensis, quodam Proverbiorum loco nititur. Principibus enim ipsis media expositione sua, ut jam obiter vidimus, declaraverat : « Possitis e vestra ipsorum conditione indagare quid sit et caeleste regnum : nam quemadmodum vobis patri et filio omnia subdita sunt, *qui de supero regnum accepistis* (« cor enim regis in manu Domini », inquit propheticus spiritus), sic uni Deo ejusque Verbo... omnia subjecta sunt. Ἔχοιτε δ' ἂν ἀφ' ἑαυτῶν καὶ τὸν ἐπουράνιον βασιλείαν ἐξετάζειν, ὡς γὰρ ὑμῖν πατρὶ καὶ υἱῷ πάντα κεχείρωται ἄνωθεν τὴν βασιλείαν εἰληφόσιν (« βασιλέως γὰρ ψυχὴ ἐν χειρὶ θεοῦ », φησὶ τὸ προφητικὸν πνεῦμα), οὕτως ἑνὶ τῷ θεῷ καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ λόγῳ... πάντα ὑποτέτακται[3] ».

Quod autem proprie ad Marcum pertinet Aurelium, hunc apud Christianos satis bene audire paulo supra monstravimus. Athenagoras ipse tantopere gaudebat quod verus philosophus

1. I Tim. II. 2. Textum Graecum hausimus ex editione stereotypa quintadecima ab *Oscar de Gebhardt* prolata Lipsiae, ap. *Tauchnitz*, 1890.
2. Athen., p. 47. v. 9-11.
3. Athen., p. 20. v. 6-11. — Prov. XXI, 1.

summum obtinebat locum, ut nullum unquam prope speraret meliorem imperatorem rebus praefuturum esse, immo ipsum christianae fidei esse proximum cum plurimis clam secum reputaret.

Longe quidem, cum ceteris qui tali spei indulgebant, aberrabat. Namque Stoicis et Christianis multa sane communia erant, praesertim quod ad ethicam partem et ad refrenandas cupidates spectat; sed multo plura discrepabant, cum illi nihil nisi humana ratione probatum admitterent, hi contra ante omnia Deum hominem factum profiterentur. Quod agnoscere Noster non potuit, simpliciore sensu praeditus[1] et nimis cupidus veterem philosophiam novae fidei conciliandi.

Itaque multum aberat ut Marcus Aurelius Athenagorae rationibus aures praeberet suas. Quid ipse in praecordiis de Christianis eorumque martyriis sentiret, exprimendum curavit in illis tabulis, quas nulli notas ac forsan nulli noscendas secreto conscribebat : hic enim mortem quae sapiente viro dignissima sit, depingit « illam dico, quae procedat proprio judicio, non ex mera contumacia, sicut apud Christianos, *μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοί*; sed consulto, graviter atque ita ut alium persuadere possis, *sine tragico habitu*, *ἀλλὰ λελογισμένως, καὶ σεμνῶς, καὶ ὥστε καὶ ἄλλον πεῖσαι, ἀτραγῴδως*[2] ». Scilicet pervicaciam et audaciam Christianorum tanto impetu ad supplicia ruentium aspernabatur imperturbatus ille Epicteti discipulus. Etsi multis Christianis domi circumdatus erat, vir tanti ingenii Christianorum virtutem non intellegebat et a moribus eorum abhorrebat. Athenagorae igitur Apologiam sicut ceteras Marco Aurelio dedicatas verisimillimum est ab illo

1. Eamdem mentis simplicitatem apud Justinum, qui ejusdemmodi opus susceperit, animadvertit Renan (*Origines*, t. VI. p. 490).
2. *Marci Antonini Commentarii* quos ipse sibi scripsit, XI, 3. De hoc lege *Renan*. t. VII, p. 55 et 56.

neque lectas neque auditas esse[1]. Quin etiam Nostro Apologiam mittenti respondit imperator medio 177 anno, Galliae magistratus sinendo in Christianos Lugduni crudelissime saevire.

Commodus autem, quo primo anno solus potitus est principatu, 180° scilicet, dire in Christianos animadvertit, quorum multi obierunt, multi ad metalla aut ad exsilium sunt damnati[2]. Post nonnullos annos, exeunte II° seculo, demum remissa est saeva illa vexatio, auctoritate Marciae, quae, cum non esset christiana, Christianis tamen indulsit. Itaque, heu rerum humanarum ludibrium! quod tot tamque gravia apologetarum opera consequi non potuerant, mulierculae, principis amicae, precibus ac blanditiis datum est[3].

Denique ex his omnibus nos conficere possumus Athenagoram, qui tantum scientiae et artis christianae causae defendendae attulit, in hoc erravisse quod nimis multum ambobus philosophis principibus Marco Aurelio Commodoque, non blanditus, sed confisus sit : nobilis sane error, qui, a magno animo, pacis universaeque concordiae sitienti certe profectus, singularem et egregiam nobis attulit Apologiam.

1. Sic sentit ALLARD, *Persécutions*, p. 387. — De hoc animadvertit BAYLE : « Une infinité de Requêtes des Protestans de France ont été imprimées sans avoir jamais été présentées au Prince » (*Dictionnaire*, Athenagoras).

2. Haec jam sub Marco Aurelio, antequam obiret, jussa esse conjicit RENAN *Origines*, t. VII, p. 491.

3. Marciae historiam lege apud ALLARD, *Persécutions*, p. 443-445.

CONCLUSIO

Sex capitum summa. — Rectior etiam ordo de Resurrectione Mortuorum libelli.

De Athenagorae dialectica, genere dicendi, sermone. Quantum ille a rhetorica abhorruerit [p. 115-117].

Tum cum Justino, tum cum Minucio Felice collatus Noster [p. 118].

Nostra aetas ad probandum Athenagoram esse aptior videtur [p. 120].

Primum quidem post Christum natum seculum, quo Christianorum duces, plerique simplices, nonnulli etiam rudes, novam fidem ante omnia propagare conabantur, merito apostolica aetas vocari solet. II^{um} autem seculum dignissimum est quod *apologetica* aetas dicatur[1]. Cum enim ethnica philosophia, imperantibus principibus Antoninis dictis, in omni Romano imperio floruit atque etiam cum Marco Aurelio, quale Plato olim petierat votis, regnum occupaverat, philosophi plures, potissimum Graeci, qui ex ethnicis in christiana castra transierant, recentem suam religionem doctrina et eruditione apud Paganorum litteratos viros palam commendandam susceperunt. Quorum plerique, tantae rei studentes, diligentissime notaverunt quot et quanta communia essent inter veterem philosophiam et Christi doctrinam, ut inter utramque quasi pontem injicerent, operaque hujusmodi philosophis illis qui summarum rerum compotes erant, imperatoribus scilicet,

1. Cf. Renan, *Histoire des Origines du Christianisme*, t. VI, p. 39.

dedicare soliti sunt. Ex illis quidem *Apologiis* celeberrimae conscriptae sunt a Sancto Justino, qui eximiam temeritatem, quam in ambobus operibus prae se tulerat, Romae, circa annum 163, cruenta morte luit [Caput I].

E plurimis autem Justini discipulis fuit *Athenagoras* : qui, paganae prius addictus philosophiae, subito lumine perculsus est dum sacras Christianorum evolvebat Scripturas, quibus adversus eos uteretur. Tum hic, qui Athenas incolere solebat, attamen aliquandiu christianae scholae interfuerat Alexandriae, *De Christianis Deprecationem*, inter decembrem mensem anni 176 et septembrem anni 177, ad defendendos fratres suos conscripsit. Scilicet a « sycophantis », id est rhetoribus istis, Herodis Attici aemulis aut discipulis, quod probare tentavi [1], qui flagitiosissimas calumnias in Christianos evomebant, totis viribus provocavit ad imperatores Marcum Aurelium junioremque filium Commodum, quos, utpote veros philosophos philosophus ipse se persuasurum esse, sincera mente, una cum permultis aliis Christianis sperabat; unde fit ut talis Apologia tantum erga principes benevolentiae quantum erga delatores fastidii spiret [Capita II, V, VI].

Perspicuo vero ordine Apologiam suam disposuit, in tria membra partitus, quae gravissimis tribus Paganorum conviciis responderent. Prima quidem pars, quae ad *atheismum* spectat, plerumque opus adimplet, quippe hoc crimen re ipsa unum dignum erat quod a philosopho refelleretur. Namque Noster Deum a Christianis percoli ostendit, unum quidem Deum, quem haud pauci quoque professi sunt veteres cum poetae, inter quos maxime citat Euripidem [2], tum philosophi, e quibus potissimum Platonem affert. Immo primus christianorum scrip-

1. Caput V.

2. Quaedam etiam hujus poetae fragmenta solus inter scriptores citat Athenagoras, ex. gr. cap. 25, 26, etc.

torum, rationis viribus, unum esse Deum disserere tentat. Praeterea, ob materiae Deique distinctionem, quam vehementer variisque modis premit, paganos insectatur deos, mira tamen gravitate, minus irrisionibus aut ludibriis usus quam disciplina et eruditione, quas a philosophia aut a poetis[1] aut a Graeca vel Aegyptia fabula, vel ab artium historia duxit. Inter multos igitur apologetas Athenagoras in hoc eminet quod non sat habet communia inter antiquitatem novamque fidem in lucem proferre, sed timet, ut ipse ait, ne christiana doctrina imperatoribus, quos alloquitur, videatur humanior[2]. Itaque praecipuas quasdam recentioris religionis partes summa ope atque opera exponendas curat, exempli gratia quod sit divinae Prophetarum inspirationis genus[3] aut quibus rebus Angeli Daemonesve praesint[4] aut quid de Sancta Trinitate valeat doctrina, dum trium personarum « in unione divinitatem et in ordine distinctionem, τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν[5] » fere primum explicat Verbique munus in creando mundo tam plane docet ut postea Nicaeense concilium eadem

1. Praesertim ab Homero. Citat quoque Aeschylum, Callimachum, Empedoclem, Euripidem, quod supra dixi, Hesiodum, Orpheum, Pindarum, Pseudoplatonem, Sibyllinos versus incertumque tragicum (c. 26, p. 35, v. 6 et 7). Inter paganos autem scriptores qui pedestri usi erant sermone, praeter Platonem attulit Noster Alexandri Magni falsam quamdam Epistulam, Apollodorum, Aristotelem, Herodotum saepissime, Pythagoram, Thalem; Plutarchum interdum secutus est Ctesiamque memoravit.

2. « Εἰ μὲν οὖν ταῖς τοιαύταις ἐννοίαις ἀπηρκούμεθα, ἀνθρωπικὸν ἄν τις εἶναι τὸν καθ' ἡμᾶς ἐνόμιζεν λόγον. » Cap. 9, p. 10, v. 3 et 4. Hoc quidem declarat scriptor antequam Sacram citat Scripturam : eadem autem mente eum saepe impulsum esse patet. Cf. p. 18, v. 18-22.

3. P. 8, v. 15-22, et p. 10, v. 8-11. — Pluries Vetus Testamentum citat Noster, scilicet : P. 10, v. 7-8 : Moysis, Isaiae, Jeremiae mentio; p. 10, v. 12 : colliguntur Exodi XX, 2 et 3; p. 10, v. 13-14 : Isaiae XLIV, 6; p. 10, v. 14-15 : Is. XLIII, 10, 11; p. 10, v. 16-18 : Is. LXVI, 1; p. 11, v. 14 : Proverb. VIII, 22; (p. 13, v. 15-16 : Is. XXII, 13, sed potius I Cor. XV, 32); p. 14, v. 16-22 : respicit scriptor ad Genesis caput I[um]; p. 20, v. 8 : Prov. XXI, 1; a p. 32, v. 16 ad p. 33, v. 1 : interpretatio Genes. VI, 2 et 4; p. 44, v. 10-12 : respicit ad Genes. I, 27. Adde *Resurr.* p. 76, v. 14 et 18 : Exod. XX, 12 et 13.

4. De horum tamen historia falsam quamdam Justini interpretationem secutus est. Vide supra caput III[um], p. 55.

5. P. 11, v. 20-21. De nostra Latina translatione legas capite III°, hic ubi Athenagorae caput 10 expendimus, adnotationem.

fere verba adhibiturum sit. Sic haud minima Nostrum contulisse ad formandam Christianorum theologiam suspicari possis (Caput III).

Denique, reliquas ambas criminationes, quae ad mores pertinent, *illicitas* scilicet *consuetudines* et *humanae carnis absumptionem* breviter idemque vehementer refellit Athenagoras. Secretos quidem Christianorum coetus divinaeque Eucharistiae dapes, quae locum istis criminibus sine dubio dederant, parum dignum opportunumve explicare existimat : ut autem istis respondeat conviciis, turpibus delatorum, id est paganorum virorum moribus tantum opponit veros Christianorum mores, quales se habeant e divini conditoris praeceptis, quae ex Euangeliis Matthaei et Lucae haud semel refert[1]. Hic tam sanctos et castos depingit fratres ut, quemadmodum Patres Graeci plerique, secundas nuptias, quas tolerat Ecclesia, damnare videatur. Illam autem supremam refutationem, quam eloquenti sermone et elato spiritu exsecutus est, claudit Noster dum preces affert quas Christiani ex veteris Ecclesiae tradito

1. Haec est summa locorum a Novo Testamento ductorum, quos jam obiter monstravimus : P. 2, v. 21 : Luc. VI, 29 (Montana Oratio); p. 2, v. 23 : Matth. V, 40 (M. O.) ; p. 12, v. 6 : Matth. V, 44, 45 (M. O.): p. 13, v. 1 et 2 : Matth. V, 39, 40, 42, 43 (M. O.) et Luc. VI, 29, 30 (M. O.) : p. 13, v. 27 : Luc. VI, 32, 34 (M. O.) ; p. 43, v. 1-3 : Matth. V, 28 (M. O.) : p. 43, v. 16-18 : Ignota et apocrypha Scriptura; p. 44, v. 5-7 : Matth. XIX, 9 : p. 44, v. 10-12 : alludit scriptor Matth. XIX, 4-6 : p. 45, v. 4-5 : alludit Luc. VI, 29, 28 (M. O.).

Dräseke, p. 447 (V. supra Indicem I. *A, 1881*) indicat locos Matth. V, 28, et Marc. X, 11, capite 28° citatos, ubi nullum inveni : Matth. V, 28, capite 32°, non 28° relatum est. — Idem censet de Matth. V, 28, 44 et 45, Athenagorae textum sequendum esse, repugnantibus Vaticano et Sinaitico codicibus.

Praeterea capitis 10[i] initio Athenagoras S. Joannis Euangelii exordium commentatus esse mihi videtur, cf. inter cetera : Ath. « πρὸς αὐτοῦ [λόγου] καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο », p. 11, v. 3-4; Joann. : « πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο » I, 3. — Forsan quoque, quod jam animadverti, dum Noster de diis paganis expositionem quamdam (p. 20, v. 12) his verbis incipit : « Οὐκ ἐξ ἀρχῆς ἦσαν οἱ θεοί », meminit primorum Joannis verborum : « Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος ».

Insuper hi sunt loci hausti a Paulo Apostolo (quem nunquam a Justino allatum esse constat) : P. 13, v. 15-16 : I Cor. XV, 32 : p. 15, v. 2 : hic certo colligit Noster Rom. XII, 1 : p. 47, v. 9-10 : prope iisdem relatis verbis, utitur I Tim., II, 2.

Adde *Resurr.*, p. 71, v. 16 : I Cor. XV, 53; p. 71, v. 19 : II Cor. V, 10; p. 72, v. 11-13 : I Cor. XV, 32.

more pro imperatoribus Deo effundere solebant [Capita IV et VI, II].

Dilucidum vero ordinem, quo distincta est Deprecatio, superavit ipse Athenagoras in libello, praestanti et ipso, quem *De Resurrectione Mortuorum* paulo post conscripsit : illic enim expositio etiam rectior, partitio per singula certior; in quo quidem non omnino laudandus scriptor mihi videtur, quippe qui paulo longius a felici exponendi libertate magistri sui Platonis discedere inceperit. Apologiae autem ordo magis eximiam Atticarum litterarum aetatem redolet.

*
* *

Attamen *dialectica* potissimum excellere Athenagoram puto. Nam quam sententiis densa sit brevis ejus Apologia, difficile est concipere nisi perlegitur, aut potius perpenditur. Pleraque enim capita, si penitus ea intellegere velis, a te reposcunt ut ea summa cura mediteris. Immo quidam loci nimia brevitate subobscuri nobis videntur[1], ne illos quidem dico qui caliginem aliquam a textus lacunis ducunt. Scilicet argumenta properant pressa, non aeque firma (nonnulla equidem ipse obiter refelli), sed plerumque opportuna ac sedulo constricta[2], permulta quidem vehementer, etsi breviter proposita, etenim scriptor summas tantum res attingit, nec longius quidquam explicat, nedum agat garrulum. Si quod forte argumentum verbis dilatat, omnes ex quibus constat partes, vicissim ac cito percenset : sic cum semel atque iterum sycophantas describit,

1. P. 32, v. 19, etc. — Interdum ex eo quoque aliquid obscuritatis oritur quod eadem vox eodem loco cum diversis sensibus adhibita est, qualia verba λόγος, πνεῦμα...; vide, capite nostro III°, illic ubi expenditur Athenagorae caput 10um, p. 38, n. 1.

2. Hanc continuationem testatur vocula οὖν (nonnunquam τοίνυν) plerisque capitibus inscripta. — Si quod infirmius Athenagoras proponit argumentum, hoc prae ceteris callide collocare solet.

quaecumque hi aut docent aut agunt enumerare festinat[1]. Maximam autem lucem orationi affert ars ratiocinandi, qua frequenter utitur apologeta, praesertim dilemmata, quae totiens ejus argumentationi praesunt[2]. Singulari vero modestia, haud tamen sine vi, cum adversariis disputat, quorum objecta breviter, ut solet, optima fide proponit, postea iisdem totis suis viribus, interdum sobria quadam ironia respondet[3].

Porro saepe interrogationis aut interjectionis figura utitur, non tamen abutitur. In *dicendi genere* modo brevissimae sententiae, quibus etiam verba haud admodum necessaria saepe desunt[4]; modo longae periodi, rebus magis quam verbis plenae, quae minus oratoriam speciem quam impetum quemdam et, ut ita dicam, affectum philosopho afferunt edisserenti[5]. Dictio enim plerumque firma eademque simplex. Prope nihil ad ornandam orationem pertinet, cum verba ad eloquendas res vel parcius adhibeantur. Praeterea paucissimae verborum translationes aut comparationes, hae quidem maxime obviae ac sive a cotidianis rebus sive ab imperatorum habitu sumptae, unde Nostro fere nullam inesse fingendi vim collegi potest[6]. Nonnunquam tamen, sed raro novae ac felices verbo-

1. P. 12, v. 12-17 sqq.; p. 44, v. 14 — p. 45, v. 5 (aut supra p. 90 et 72).

2. P. 39, v. 16-22 : « Ἠ τοίνυν θεοὶ ἦσαν... ἢ ἄνθρωποι γεγονότες... ». — P. 41, v. 3-8 : « Ἠ γὰρ ἄπιστοι.... ἢ εἰ ἀληθεῖς... » ; — p. 16, v. 5 et 8. et passim. — Insuper plurimae voces μέν et δέ, quae adhibitae sunt. orationis lucem etiam augent.

3. Sic capite 22.

4. Verbum εἶναι saepe subauditum est. ex. gr. « Οὐ γὰρ θεοῦ κινεῖν ἐπὶ τὰ παρὰ φύσιν », p. 35, v. 5 et 6. — « ... Μόνος ἀΐδιος ὁ ἀγένητος θεός ». p. 41, v. 3. et passim. Hoc est brevissimi dilemmatis praestans exemplum : « Εἰ θεοὶ, καὶ ἀθάνατοι, εἰ δὲ τύπτονται καὶ τὰ πάθη ἐστὶν αὐτῶν μυστήρια. ἄνθρωποι. », p. 38, v. 12 et 13.

5. Jam quasdam periodos supra citavimus. Adde p. 31. v. 19 — p. 32, v. 7 (= 17 versus), haec quidem paulum gravata; p. 34, v. 5-22 (= 17 versus), haec autem eximia; p. 42, v. 3-17 (= 15 versus), etc. — Saepe autem familiari dativo μοί, ethico a grammaticis vocato utitur Athenagoras (p. 10, v. 28; p. 14, v. 11; p. 18, v. 7: p. 24, v. 22, etc.).

6. I. Comparata Prophetarum ora *organis* (cap 7), *tibiis* (cap. 9). quae imago a ceteris Patribus jam usitata erat; Sanctus Spiritus *solis radio* (cap. 10) vel *ignis lumini* (cap. 24). imago jam a Philone adhibita, quam impugnavit Justinus;

rum conjunctiones, quae lumina orationis jure appellantur [1]. *Sermo* autem purus : dialectos usurpata est attica, praeter pauca verba posterioris aevi ac paucissima ab Athenagora solo adhibita [2]. Raro minus solitae occurrunt verborum significationes vel dicendi figurae [3]. Solius igitur elocutionis ratione habita, facile hanc Apologiam optimis Graecarum litterarum seculis natam esse credas, nisi paulum sicca et quasi stricta tibi passim expositio videatur.

Ad summam, in hoc opusculo rhetorica prorsus abest, quo equidem me potissimum ad id allectum esse fateor. Cujus pulchritudo, austerior quidem, minus in verborum illecebris quam in sententiarum vi posita, originem ducit a firmae mentis vigore, etiam valida disciplina excultae et severissimis imbutae scientiis [4] : cujusmodi laudem nos Galli recentes vocamus « précision scientifique », veteres Romani « elegantiam » appellabant [5].

imperatores solum christianismi partem a Nostro edocti *hominibus mel et lactis serum gustantibus* (cap. 12); Deus mundi creator *figulo* et *aurario* (cap. 15) et *citharaedo* (c. 16), in quo certe Platonis meminit Noster, et *nautae* (cap. 22); ethnici theologi *hominibus humi jacentibus* (cap. 22); pravi angeli erga Deum *colori erga corpora* (cap. 24); conjuges *agricolis* (cap. 33); delatores *piscibus avidis* (cap. 34).

II. Comparati Christiani *reis ante imperatores vocatis* aut *philosophis judicatis* (cap. 2); mundus *imperatoriis aedibus* (cap. 16); Dei Patris Verbique potentiam *potentiae Marci Aurelii Commodique* (cap. 18); angeli *imperatorum ministris* (cap. 24). De his supremis collationibus vide supra cap. VI, II.

In libello De Resurrectione comparatus est pro vero disserens vir *agricolae* et *medico* (cap. 1, fine).

1. Ex. gr. « Εὐδοξοῦμεν γὰρ παρὰ τῷ θεῷ », — « δουλεύοντες σαρκί..., ἐπιθυμίας ἐλάττους... » (cap. 31, vide nostras de his verbis notas), etc.

2. Illa : ἐναποσφραγίζεσθαι, εὐνουχία, θεοδίδακτος, θεόρατος, συγκαταπίπτειν, συναποφέρειν, συνεκφωνεῖν, τηνάλλως. — Haec : Ἡρακλειωτικός ἰνδαλματώδης, προσπηλακίζειν, παντελικός (De hoc novissimo V. supra, p. 54, n. 3).

3. Horum diversorum seriem reperias apud *Otto*, p. L et LI.

4. Rerum scilicet artiumque historia. philosophia, vel naturali historia, qua in libro de Resurrectione usus, corporis et animi conjunctionem conspicue exposuit.

5. Huic elegantiae ac simul scriptoris sinceritati videlicet tribuenda magna dicendi libertas, qua Athenagoras utitur ut virilia vel coitum designet, vide potissimum cap. 20, 21, 22, 26, 30, 31, 32, 33.

*
* *

Per hunc autem dicendi colorem Athenagoras longe dissidet a *Justino*, cujus vestigia a Nostro saepenumero premi per singula ostendimus, immo cum magistro suo nonnunquam pugnat. Nempe Justinus in duplici sua Apologia fratres suos ardenter, audacter, fuse, vivide, sine ordine certo defendit, ac, dum de philosophia disserit, temperare non potest quin Christianorum ritus aperiat. Noster vero multo magis philosophi personam egisse mihi videtur. Illum quidem videas quasi martyrem ad hanc arenam properantem ubi eum manet nobilis caedes : hunc audias quasi in schola doctorem distincte cum adversariis disputantem [1].

Porro cum *Minucio Felice* Athenagoras persaepe collatus est : nam inter Latinum illius *Octavium* Graecamque hujus Apologiam tam multa communia sunt ut alterum imitatum esse alterum plerisque constet. Uter autem imitatus sit, certo modo dispici minime potest : etenim quindecim hos annos, fere quoque anno apud Germanos doctissima aliqua edi solet commentatio, ubi, collatis utriusque locis, probatur nunc Athenagoram nunc Minucium priorem scripsisse [2]. Mihi qui-

1. Haud minus congruere videtur Noster aequali suo Theophilo : ambo enim eosdem saepe attulerunt locos eodemque prope modo de Verbo disseruerunt. Etiamnum autem incertum quis prior Apologiam suam vulgaverit.

2. Ebert anno 1874 senserat Minucium Athenagorae Deprecationem in usum suum convertisse (*Allg. Gesch. der Litteratur des Mittelalters*, t. I, p. 25. n. 3, Gallica versio ab *Aymeric* et *Condamin* data, 1883, Lut. Par., apud Leroux). — Hanc sententiam diligenti disputatione confirmavit D[r] Georg Loesche, *Jahrbücher für protestantische Theologie*, 1882, p. 168-178, *Minucius Felix' Verhältniss zu Athenagoras*. — Hoc autem negaverunt P. Schwenke, ib., 1883, p. 279 sqq. et K.-I. Neumann, Götting. *Gel.-Anz.*, 1884, p. 358 sqq., dum Harnack confitetur, anno 1883, nullo certo loco demonstrari Minucium ex Athenagora pendere, *Texte und Untersuch.* I, fasc. 2, p. 181, n. 185. — Baehrens quidem affirmavit anno 1886 Athenagoram Minucio usum esse atque eum quasi complevisse, *Minucii Fel. editio*, Lipsiae ap. Teubnerium, Praefatio, p. viii, n. — Fridericus autem Wilhelm asseruit anno 1887 minime probari posse Minucium ex Athe-

dem haec omnia aequa mente perpendenti ideo probabilius esse videtur Minucium Felicem ab Athenagora imitatione multa duxisse, quod ille plures alios scriptores, quos ne nominat quidem, quales Tullius aut Seneca, sine dubio furatus est[1]. Quidquid id est, etiamsi congruit uterque, tum quod ad universum spectat ordinem tum in nonnullis singulis locis, sicut totiens in lucem est prolatum, nihilominus eosdem mente, ratione, arte magis etiam discrepare censeo. Minucius enim christianam fidem modo tanquam humanam philosophiam exprimit, adeo ut vix Christum commemoraverit : quem autem locum in Deprecatione theologia obtineat, satis ostendimus. Ex altera parte multo accuratiore arte conscriptus est *Octavius*, lepidissimus ille sermo qui, Ciceroniano more, inter tres literatos viros, in curva ora Ostiensis litoris poetice habetur. Cujus scriptor legentes non tam docere quam delectare et permulcere et omnibus dicendi illecebris suaviter ad novam religionem versus impellere sibi proposuisse videtur. Itaque hic haud semel habitus est patronus christianorum illorum apologetarum qui potissimum lenitate animos allicere quaerunt[2] : Tertullianus autem, qui eadem videlicet vixit

nagora pendere, *De Min. Felicis Octavio et Tertulliani Apologetico* (*Breslauer philologische Abhandlungen*, vol. II, fasc. I, p. 71, n. 4) [editio *major*]. — Eodem anno censebat KRÜGER inter Athenagoram et Minucium communia sine ulla imitatione explicari posse, *Grundriss der Theologischen Wissenschaften*, Freiburg im Breisgau, p. 87. — Sed HARNACK, qui, utpote vere eruditus vir, sententiam mutare sibi licere putat, scripsit anno 1893 Minucium Athenagora usum esse videri, *Gesch. der altchristl. Litteratur*, I, p. 258.

De Minucio Felice legas etiam apud nos RENAN, *Origines*, t. VII, 1882, p. 389-403, ubi dicitur *Octavius* « la perle de la littérature apologétique des dernières années de Marc-Aurèle ». et G. BOISSIER, *L'Octavius* (*Journal des Savants*, août 1883, p. 436-452) et *La Fin du Paganisme*, t. I, 1891, l. III, p. 306-338.

1. Tertullianum ideo omitto quoniam utrum Minucius imitatus sit Tertullianum an Tertullianus Minucium, adhuc sub judice lis est. — Ceterum II° capite ostendimus Athenagoram, dum scribit, nondum audiisse in Christianos anno 177 saevitum esse : ad eamdem contra rem respexisse videtur Minucius cap. 29, 33, 37.

2. Sed omnino falsam collationem instituere mihi videtur RENAN, qui Minucium Felicem recentibus Lutetiae cathedralis ecclesiae oratoribus confert (*Origines*, t. VII, p. 403) : num quid commune sit inter lepidum Octavii scripto-

aetate, violentorum et asperorum fidei doctorum dux existimari potest. Utrique vero generi interjectus quasi medius esse videtur Athenagoras, qui se simul firmum ac benevolum nec leniorem nec asperiorem re ipsa se praestitit.

Denique, ut huic disputationi finem imponam, Athenagorae Apologia, quae rebus et argumentis tantum abundat, ineunte hoc XIX° seculo parum placere debebat hominibus ornatae et nitidae eloquentiae maxime cupidis. Quod revera evenit, ut imprudens testatur doctissimus ipse presbytêr GUILLON in *Excerpta Bibliotheca Patrum Graecae et Latinae Ecclesiae*, quam annis 1824-1828, Lutetiae Parisiorum edidit[1] : Deprecationem enim dum explicat, disputationis vim singulorum prolixitate interdum infirmatam esse fatetur, et queritur quod « Graeci de citatorum locorum copia minus severi quam *nos* fuerint[2] ».

Ob eamdem autem causam nunc, hoc exeunte seculo, cum graviores factae mentes pressis rebus certisque argumentis multo magis gaudent, ad studium talis operis adeundum aptiores esse videmur. Quo ut perveniatur utinam pusillo nostro labore aliquid conferamus! Nam quisquis hanc plenissimam defensionem penitus commentatus ac meditatus erit, ut equidem feci, maximo nostro BOSSUET videlicet assentietur, qui, cum certum ac solidum dicendi genus maxime probaret, Athenagorae opus « unam e pulcherrimis christianae religionis Apologiis, *une des plus belles Apologies de la religion chrétienne* » esse declaravit[3]. Immo, si quis summa in expo-

rem et Patrem *Monsabré*, qui jam decem annos hic loquebatur cum ille eruditus vir tale scribebat? aut num hic orator aliquid unquam lenivit vel texit?

1. 26 vol. 8°, apud *Méquignon*.

2. T. I, p. 341.

3. *VIe Avertissement sur les Lettres de M. Jurieu*, cap. LXIX. Hoc quidem judicium primae hujus opusculi fronti inscribere coepi, quod tota disputatione diligentissime demonstrarem : hoc (si nostri ipsius scriptoris verbis [cap. 30 fine] uti mihi licet) κατὰ δύναμιν τὴν ἐμὴν, εἰ καὶ μὴ πρὸς ἀξίαν, ἐλήλεγκται.

nenda doctrina gravitate, ampla in explicandis veterum rebus eruditione, eximia in argumentando sobrietate et vigore potissimum delectatur, eam omnium, II° saltem seculo, vel « pulcherrimam » jure praedicabit [1].

1. Non aliter sentit MÖHLER, *Patrologie*, Gall. versio Cohen, t. I, p. 294. — Eodem modo Athenagorae de Resurrectione libellum plures judicant optimum esse omnium quos Patres de hac materia scripserint.

FINIS

APPENDICES

I. — QUID DE ATHENAGORA SENSERINT THEOLOGI XVII° SECULO DISPUTANTES.

II. — QUAM FIDEM MEREANTUR ATHENAGORAE DOCUMENTA AD ARTIUM HISTORIAM SPECTANTIA.

III. — CHRISTIANORUM QUAEDAM PRO IMPERATORIBUS PRECATIO I° SECULO HABITA.

APPENDIX I

Quid de Athenagora senserint theologi XVII° seculo disputantes.

Bossuet et Jurieu, potissimum de Apologiae 10° capite ad S. Trinitatem pertinente (1689-1691). — Hujus data ab utroque Gallica versio perspicitur [p. 129-135]. — De vero sensu cujusdam Proverbiorum versus (VIII. 22) [p. 135].

Anno quidem 1688 illustrissimus *Bossuet* suam Protestantium Ecclesiarum Mutationum Historiam, vulgo *Histoire des Variations* edidit, ubi inter cetera protestans minister *Jurieu* ob publicarum vaticinationum suarum temeritatem palam denuntiabatur : hic autem brevi tempore, Rotterdami Batavorum exsul, ardentissime ei respondit per Pastorales illas Epistulas quas, theologica doctrina et acri eloquentia mixtas, Gallis fratribus in fide sua confirmandis, tres annos, bis quoque mense, Gallice mittebat [1].

In VI[a] igitur anni 1689 Epistula irridere coepit recens Meldensis episcopi opus, quo antiquum declarat comprobari proverbium · « *Cum parturiunt montes, nihil nisi mures exeunt* » [2], tum ipsam libri rationem adoritur, qua Bossuet contenderat veritatem mutationi non esse obnoxiam, sed eam quamprimum omnino perfectam exsistere; scilicet eam opinionem refellere tentat affirmando de Sancta Trinitate primos Ecclesiae scriptores non eamdem quæ tunc vigeret, professos esse doctrinam. Sic, inquit, Athenagoras

1. De his Epistulis vide opus a cardinali DE BAUSSET conscriptum, *Histoire de Bossuet*, et recentiorem eruditissimumque librum *Bossuet Historien du Protestantisme*, ab ALFRED RÉBELLIAU, Par., 1891, p. 312-314. — Equidem antiquum ipsum illarum textum recognovi : *Lettres pastorales adressées aux fideles de France qui gemissent sous la captivité de Babylon*, sine scriptoris nomine, 3[a] editio, Rotterdami, apud Abr. Acher, 3 vol. in-12, 1688. [Publ. Bibl., Paris. Inv. D[2] 4.336.] Ad hunc librum legentes jam sum remissurus.

2. T. III, p. 121.

eorum quidem quos habemus, antiquissimus est theologus qui « a Scripturae simplicitate discedere susceperit atque illud mysterium explicare tentaverit ». Tum quamdam Apologiae capitis 10[i] partem Gallice reddit, quam postea secundum Tertullianum sic explicat : a Deo, initio mundi, illud Verbum in materiam tum informem, esse effusum quasi sacrum semen, scilicet ex hac divinae sapientiae effusione supremam perfectionem atque, ut ita dicam, *perfectam vitam Verbo et secundæ Divinitatis personae contigisse.* « Athénagore veut dire que... ce verbe fut répandu de Dieu au commencement du monde sur la matière, qui était informe, comme une semence sacrée,... et que ce fut cette effusion de sa sagesse qui donna la dernière perfection et pour ainsi dire *la parfaite existence au Verbe et à la seconde personne de sa divinité* [1]. »

Hanc autem interpretationem locis a Tatiano, Theophilo, Tertullianoque haustis confirmat Jurieu et concludit omnes veteres illos Patres, quos aetatis suae sententiam reddidisse patet, persuasum habuisse Filii personae generationem tantum in principio mundi factam esse. Cujus erroris duplicem indicat causam, et quod non satis Dei immutabilitatem conciperent, et quod male intellegerent hunc sacri Proverbiorum libri locum, qui aeque ab Athenagora et Tertulliano citatus est [2] : « *Il m'a créé le commencement de ses voyes par ses œuvres* », dum Hebraicus ferat textus : « *Il m'a possédé dès le commencement de ses voyes* » [3].

De Deo autem mutatam quoque esse Ecclesiae doctrinam Jurieu infra demonstrare conatur, quippe Deum ab antiquis Patribus non perfectum neque immutabilem esse habitum : etenim Athenagoras ait bonum in Deo accidens esse sicut in corpore colorem. Porro, si Deo sunt accidentia, non jam ipse infinitus nec simplex neque indivisibilis est. — At ille non animadvertit vocem συμβεβηκός, quam respexit, hic non *accidens* manifesto significare, sed *necessarium attributum*, « sine quo res non est, οὗ ἄνευ οὐκ ἔστιν », quod ipse Athenagoras continuo explicat : ceterum eodem verbo usus est Eusebius [4].

Denique VII[a] ejusdem anni Epistula contendit minister de Pro-

1. P. 128-129.
2. Hunc a Justino (Dial. cum Tryph., c. 31) nimirum erat mutuatus Athenagoras.
3. Prov. VIII, 22. — Jurieu, p. 132.
4. Athen. cap. 24, p. 31, v. 28 sqq. Haud alio modo Tertullianus Dei attributa « appendices » appellavit. Cf. Maranum, ap. *Migne* (p. 187 B et p. 946, n. 34).

videntia et de mali origine aliam fuisse fidei mutationem : ab Athenagora scilicet et ceteris admissos esse angelos qui materiam moderarentur eorumque ducem, materiae praesidem, qui erraverit malumque introduxerit : unde plerisque priorum seculorum Patribus venerit haec sententia angelos, quibus custodiendi erant homines, in corruptionem delapsos, cum feminis coivisse ac genuisse Gigantas[1].

*
* *

At, ipso anno 1689, Bossuet tria prima sua Protestantibus Monita de ministri Jurieu Epistulis contra Mutationum Historiam, Gallice *Avertissements aux Protestants sur les Lettres du ministre Jurieu contre l'Histoire des Variations*, vicissim in lucem edere festinavit[2]. Ista igitur de mutationibus doctrinae apud pristinos scriptores denuntiatis refutare aggressus, I[i] Moniti 25° capite se de Athenagora ideo dicturum esse nuntiat et quia primum Athenagoram citaverit Jurieu et quia « primus hic sanctorum illorum scriptorum sibi in manum inciderit ». Quod autem minister asseruerat apologetam non immutabilem concepisse Deum, refellere sat habet, dum ostendit Athenagoram huic sententiae contraria ter quaterque significavisse, quippe qui hoc ipso 10° capite Deum appellaverit « infinitum, aeternum, qui sola mente et ratione concipiatur », denique « ἀπαθῆ », quod nihil significet nisi « *inaltérable, immuable, imperturbable, incapable de rien recevoir de nouveau en lui-même, ni d'être jamais autre chose que ce qu'il a été une fois* ». At hujus vocis sensum episcopus leviter adulterare et quasi augere videtur, quae reipsa « impassibilis, patiendi scilicet vel perpessionis expers[3] », et Gallice : « *impassible* » modo sonet.

Attamen hic et alias, sive obliqua sive recta via Deum immutabilem esse affirmat Athenagoras. Nam Deum capite 8° dicit « non posse dividi neque e partibus constare, ἀδιαίρετος· οὐκ ἄρα συνεστὼς ἐκ μερῶν[4] », et toto 22° capite ostendit ob Dei immutabilitatem a ratione prorsus alienum esse mutabilia elementa deos habere,

1. Hic, p. 145-147, Jurieu Athenagorae caput 24 colligit. Cf. supra p. 54 et 55.
2. De his *Monitis* cf. DE BAUSSET, *Histoire de Bossuet*, lib. IX, XII, usque ad finem, et REBELLIAU, *Bossuet...*, p. 490 et 491 cum notis. Docti episcopi equidem originalem textum adii : *Avertissemens de M. l'Evesque de Meaux* [Publ. Bibl. Paris. Inv. D 6.020].
3. Cf. OTTO, p. 44 et n. 2.
4. P. 9, v. 4.

exempli gratia his verbis : « Si concreta colamus,... *mutabilem* materiam deo *sibi semper constanti* imprudentes adaequabimus, λήσομεν ἑαυτοὺς ἰσότιμον τὴν ὕλην τὴν μεταβλητὴν τῷ διὰ παντὸς συμφώνῳ ποιοῦντες θεῷ[1]. — Quorum igitur corporum corrupta secundum materiam *mutatio* est, haec quis deos esse credat? Ὧν οὖν σωμάτων φθαρτὴ ἡ κατὰ τὴν ὕλην παραλλαγή, τίς ἂν ταῦτα πιστεύσαι θεούς;[2] — Si Cronos tempus est, mutatur...; at DEUS IMMUTABILIS, εἴτε χρόνος ἐστὶν ὁ Κρόνος, μεταβάλλει... ΤΟ ΔΕ ΘΕΙΟΝ ΑΝΑΛΛΟΙΩΤΟΝ[3]. At *deus nec mutatur* nec vertitur, οὔτε δὲ μεταβάλλει οὔτε μεταπίπτει τὸ θεῖον[4] », et passim.

Postremo Meldensis episcopus ministrum Jurieu remittit fratri ejus in fide Bullo, qui tam excellenter Nicaeensis concilii Patres adversus talia crimina defenderit.

Interea juvenis protestans quidam, cujus nomen nescimus, haud aliter atque episcopus. vehementer ministrum ipsum aggrediebatur, cui vitio vertebat Patres arrianos et socinianos reddidisse. Quod crimen pastori illatum non omnino falsum judicaveris si hunc audiveris, postquam in sexta anni 1689 Epistula, p. 130, Tertulliani de Trinitate doctrinam exposuit, exclamare : « Nihil est magis arrianum ». Ut igitur se tali accusatione lavaret totumque suum socinianismi odium profiteretur, novum opus Jurieu Hagae Comitum. anno 1690 atque ex epistulis etiam constans edidit, cui titulum imposuit : « Socinianismi Pictura, sive *Le Tableau du Socinianisme*[5] ». Cujus operis in VI[a] Epistula, p. 223, ad veterum de Trinitate doctrinam redit « ob invisum, inquit, crudelemque modum quo a Meldensi episcopo ejusque sociis habitus sit ». Tum quidem, etsi suam sententiam nec plane nec sincere aperire videtur, multum de illa priore erga Patres severitate remittit. Athenagoram enim monstrat, quanquam illis annumerat quorum non satis mera sit de Trinitate doctrina, hanc nequaquam prave confessum esse, dum 10[i] capitis versionem novam et accuratiorem reddit, quam ita concludit : « Nunc non possimus de hoc mysterio clarius breviusque loqui ».

1. P. 26, v. 24-26.
2. P. 27, v. 11-12.
3. V. 22-25.
4. V. 28-29. Ceterum Bossuet ipse VI[i] Moniti capite XLV[o] ostendit ceteros et Athenagoram oblique Dei immutabilitatem asseruisse.
5. « Où l'on voit l'impureté et la fausseté des Dogmes des Sociniens et où l'on decouvre les mystères de la cabale de ceux qui veulent tolérer l'hérésie Socinienne, Divisé en deux parties, et en diverses Lettres aux vrays Fidèles. Première Partie, — chez Abrah. Troyel », in-12 (sine scriptoris nomine) [Publ. Bibl. Paris. Inv. D[2] 8.591].

Neque alio modo Tatianus et Tertullianus, praeter aliquot falsas voces, et ceteri, quos tam graviter ipse modo insimulaverat, nunc « integerrimam Ecclesiae doctrinam » docent. Quin etiam, si eidem fidem habes, in anni 1689 sexta septimaque Epistulis, quas supra perpendimus, affirmavit Trinitatis mysterium apud Athenagoram, Tertullianum veteresque omnes scriptores occurrere legenti, ac, si quis hoc infitietur, respondendum nunc declarat haud verum esse antiquos Patres de necessariis hujus mysterii partibus sententiam unquam mutavisse[1].

Attamen infra, p. 237, Athenagoram credidisse contendit « Verbi virtute omnia esse creata, cum ex Deo erupit et exiit... — *par la vertu du Verbe toutes choses furent créées quand il saillit et sortit de Dieu* », postremo perorat Nostrum ceterosque hujus aetatis Patres « quamdam Filii nativitatem ante Creationem, — *une certaine nativité du Fils avant la Création* » admisisse, quasi ipsa Verbi origo non e « necessariis mysterii partibus » a Jurieu habita sit.

*
* *

Anno autem 1691 Bossuet justum de Athenagora proelium cum ministro illo commisit, quocum antea nihil nisi quasi velitationem inierat. Ardentis enim pugnatoris cum novissimis Pastoralibus Epistulis tum Socinianismi Picturae respondit episcopus per VI[um] et ultimum ad Protestantes Monitum; hujus non aliud est ipsum argumentum quam « Dei Immutabilitas triumque Trinitatis personarum Æqualitas », quas non confessos esse priores Patres Jurieu contenderat. Non quidem minus multa quam quinque capita (LXIX-LXXIII) ab episcopo apologetae nostro impensa sunt.

Ergo praeclaram Athenagorae laudem tribuere coepit, quem « unam e pulcherrimis veterrimisque christianae fidei apologiis » scripsisse declarat. Hunc autem christianum philosophum animadvertit ethnicis viris Trinitatis mysterii tantum quod ferre possent exponere voluisse[2] capite illo 10°, quo jam bis, ut vidimus, usus est Jurieu atque idem diligentissime Gallica lingua vice sua vertit ac commentatur. Horum igitur ambas versiones nos perpendamus ut quantum utraque ad Graecum textum accedat, discernere possimus. Immo trium partium quas in illa expositione distinguit

1. P. 234-237.

2. Eamdem sententiam in meo capite VI°, quod ad imperatores spectat, de cuncta ab Athenagora exposita doctrina expressi.

Bossuet, cum prima bis et in Pastorali Epistula et in Socinianismi Pictura a ministro Jurieu translata sit, primae hujus partis nos tres illas versiones, ministri duas et episcopi tertiam, in vicem conferre incipiamus [1].

I. — *Graecus textus* : « Ἀλλ' ἐστὶν ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ λόγος τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ· πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ. Ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ[2] ».

Prior Jurieu versio : « Mais le Fils de Dieu est le verbe (ou la raison) du Père en idée et en efficace. Car par ce verbe ont été créées toutes choses : Et comme le Fils est dans le Père, le Père est dans le Fils par unité et par puissance d'esprit, l'entendement et le verbe du Père est Fils de Dieu[3] ».

Posterior Jurieu versio : « Le fils est le verbe du père en image et en opération. Parce que par luy toutes choses ont été faites : veu que le père et le fils sont un, et que le fils est dans le père, et le père dans le fils en unité et vertu de l'esprit, le fils de Dieu est l'entendement et la parole de Dieu[4] ».

Bossuet versio : « Mais le Fils de Dieu est le verbe ou la raison du Père en idée, en opération, ou en efficace : car par ce verbe ont été créées toutes choses : le Père et le Fils n'étant qu'un, et le Fils étant dans le Père comme le Père est dans le Fils par l'unité et par la vertu de l'esprit : c'est ainsi que l'intelligence ou la pensée et la parole du Père est le Fils de Dieu[5] ».

Jurieu autem in utraque versione et Bossuet in sua omisere secundae sententiae voces πρὸς αὐτοῦ, *secundum eum*, quas admodum idem ac proxime sequentes δι' αὐτοῦ, *per eum* valere credidisse eos verisimillimum est. Praeterea Jurieu prius, quod ei adversarius vitio vertit, verba ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ omisit. Dein δυνάμει πνεύματος ita reddit « *par puissance d'esprit* », quod prope nihil hic significare putares[6].

1. Graecum textum ab editione Schwartz, hic, ut solitus sum, refero. Jurieu autem et Bossuet versiones summa cura in originalibus, supra citatis, editionibus recognovi.

2. Schwartz, p. 11, v. 2-7.

3. *Lettres Pastorales*, t. III, p. 128. — Habitum in Gallicis versionibus scribendi modum atque interpunctionem et parenthesi interposita verba, omnia quae hic non parvi sunt ponderis, ubique servavi.

4. *Tableau du Socinianisme*, p. 230.

5. *Sixième Avertissement*, cap. LXIX.

6. Praeterea, ad finem, mira est haec articuli omissio : « l'entendement et le verbe du Père est *Fils* de Dieu » pro « *le* Fils de Dieu ».

Posterior vero ministri versio priori praestat, attamen hic initio pro verbo *idée* verbum *image* haud feliciter subjecisse videtur. Dein, punctum illud quod primam sententiam claudit et vocem *opération* sequitur, valde mirandum est, nimirum ibi aliquo errore pro puncto et virgula aut etiam pro sola virgula positum. Exinde absoluti duo genetivi, utpote conjuncti, ad supremam ambo sententiam injuria pertinere videntur. Illi quidem versioni *par puissance d'esprit* haec altera clarior successit *en vertu de l'esprit*, quod Sancti Spiritus virtutem manifesto designat : at plerique commentatores, inter quos Clericus, Maranus, *Otto* citandi sunt, cum vocem πνεῦμα apud Patres et praesertim apud Athenagoram *divinitatem* significare solere observaverint, ne hic quidem de Sancto Spiritu agi sentiunt, sed ita Patris et Filii divinitatem tantummodo monstrari[1]. Denique supremae voces *de Dieu* pro *du Père* inconsulto conscriptae sunt.

Huic autem alteri Jurieu versioni episcopi versionem simillimam esse liquet. Ter tamen ab eo quaedam verba, explicandi ratione, initio scilicet « *ou la raison* » et paulo post « *ou en efficace* » et sub finem « *ou la pensée* » in textum inserta sunt.

*
* *

II. — Secunda porro expositionis pars quam male a Jurieu reddita sit, ostendit Bossuet : quod num verum sit, non nisi textum et utramque versionem hic quoque sub oculis habentes, decernere quimus.

Graecus textus : « Εἰ δὲ δι᾽ ὑπερβολὴν συνέσεως σκοπεῖν ὑμῖν ἔπεισιν, ὁ παῖς τί βούλεται, ἐρῶ διὰ βραχέων· πρῶτον γέννημα εἶναι τῷ πατρὶ, οὐχ ὡς γενόμενον (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ θεὸς, νοῦς ἀΐδιος ὢν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὢν), ἀλλ᾽ ὡς τῶν ὑλικῶν ξυμπάντων ἀποίου φύσεως καὶ γῆς οχιας (sic) ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα, ἐπ᾽ αὐτοῖς ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι, προελθών[2]. »

Jurieu versio : « Que si par la pénétration de votre esprit vous croyez être capables de contempler ce que c'est que le Fils, je vous le dirai en peu de paroles. La première génération est au Père, qui n'est point engendré. Car dès le commencement Dieu étant un entendement éternel, a eu son Verbe en soi-même, parce qu'il était

1. V. MARANUM, ap. *Migne*, p. 910, et OTTO, p. 46, n. 9.
2. P. 11, v. 7-14.

toujours raisonnable. Mais il était comme courbé et couché sur les choses matérielles destituées de forme quand il a mêlé les choses spirituelles avec les plus grossières, s'avançant en forme et en acte, c'est-à-dire venant à une existence actuelle[1]. »

Bossuet versio : « Si vous croyez pouvoir comprendre ce que c'est que le fils, je vous dirai qu'il est la première production de son Père ; non pas qu'il ait été fait, puisque dès le commencement Dieu étant une intelligence éternelle et étant toujours raisonnable, il avait toujours en lui-même sa raison (*ou son verbe*) mais à cause que ce verbe ayant sous lui, à la manière d'un chariot (*qu'il devait conduire*) toutes les choses matérielles, la nature informe, et la terre ; les choses légères étant mêlées avec les épaisses (*et la nature étant encore en confusion*) il s'était avancé pour en être l'acte et la forme[2]. »

Primum autem Jurieu ac Bossuet ejusdem participes fuerunt erroris cum vocem ἔπεισιν confudisse videantur cum ἔπεστιν, quod, ut omnibus patet, idem valet ac *subit*, *in mentem venit*, ita ut haec sententia reipsa significet : « *Si vous avez envie d'examiner...* » neque, quod dixit Jurieu : « Si vous croyez être capables de contempler... », aut, quod Bossuet vertit : « Si vous croyez pouvoir comprendre... ».

Quod vero multo majoris est ponderis, pergit ita Jurieu : « La première génération est au Père, qui n'est point engendré ». Sed hoc, ut nullum paene sensum praebet, sic duos certe errores continet : intellegitur enim ex ceteris ejusdem Graecae sententiae partibus voces πρῶτον γέννημα infinitivi non subjectivam partem, verum complementum esse, quod sine ullo dubio ad παῖδα subauditum, seu *Verbum* refertur. — Praeterea γενόμενον non γεννώμενον est, neque Gallice *engendré*, sed tantummodo *fait* significat. Ceterum minister in « Pictura », dum eumdem locum non quidem iterum vertit, sed solum collegit, semetipsum feliciter correxit his verbis : « Et peu après il nie que le fils soit sorti de Dieu comme une chose faite, assurant qu'il a été engendré[3] ». Bossuet postea totam illam sententiam recte transtulit : « Il est la première production de son Père[4] ; non pas qu'il ait été fait... ».

Insequentibus autem verbis εἶχεν et ἔσχεν non discrevisse videtur Jurieu, cum dicat : « Dieu *a eu* son Verbe en soi-même ».

Posteram quidem sententiam, cujus universus apparet sensus,

1. *Lettres Pastorales*, t. III, p. 128.
2. *Sixième Avertissement*, cap. LXIX.
3. P. 231.
4. Ad verbum : « Il est *pour le Père* la première production ».

difficillimum est ideo ad verbum explicare quod hic locus aperte corruptus est : potissimus enim codex, Parisinus 451 in hujus sententiae medio refert οχιασ, quod nihil Graeci sonat; et codex Mutinensis III D7 tradit όχιασ quod in όχείας correxit altera manus, et όχίασ dat codex Parisinus 174, quod in όχείασ correctum est : όχεία autem (non όχεία), cum coitum significet, hic vix explicari potest [1]. Itaque multipliciter obscura illa vox mutata et detorta est : at miro sane modo totam sententiam sic Jurieu transtulit : « Le Verbe était comme *couché et courbé* sur les choses matérielles destituées de forme ».

Minima porro diligentia minister reddidit μεμιγμένων τῶν παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα his verbis : « quand il a mêlé les choses spirituelles avec les plus grossières ». Prius enim talem operam Verbo attribuit, quod sensui manifesto repugnat : quippe eo tempore processisse Verbum scriptor intellegit, quo res crassiores cum levioribus permixtae erant, natura scilicet in media erat confusione. Deinde voces τὰ κουφότερα nequaquam « les choses spirituelles », sed « les choses plus légères » significant.

Denique maximus vertendi error ad ultima ejusdem sententiae verba spectat : coepit enim dicere interpres : « s'avançant en forme et en acte », quod apte dicitur ad reddendum ἐπ' αὐτοῖς ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών, sed falsa commentatione superaddit : « c'est-à-dire venant à une existence actuelle », quod liquido voces ἐπ' αὐτοῖς praetermittit vocibusque ἰδέα et ἐνέργεια immerito subjectivum sensum, pro objectivo, tribuit. Namque haec significare patet : « procedit ut iis sit idea (seu forma idealis) et vis efficax ».

Jure igitur plerosque hos errores Bossuet notat et condemnat, et ipse ejusdem loci versionem multo diligentiorem reddit. Attamen, praeter falsam verbi ἔπεισιν translationem, quam supra animadvertimus, ambas voces διὰ βραχέων omisit, atque, obscuro οχιασ in όχείου detorto [2], illam *vehiculi* imaginem cum in versione tum in interpretatione explicare et illustrare nisus est. Ceterum totum hunc Athenagorae locum mundi creationis narrationi in Genesi congruere sub capitis finem ostendere studuit.

1. Schwartz, p. XV et 11. Cf. Otto, p. 47, n. 12.
2. Talem correctionem paulo post, anno 1716, sibi adscivit Clericus (V. Otto, *loco cit.*).

*
* *

III. — Tertiam autem expositionis partem Meldensis episcopus proximo capite (LXX) adit, quam mirum est cur inceperit ab hac sententia, quae multo potius ultima secundae partis habenda est : eam autem ipse quasi transitum inter utramque partem ducere videtur : « Et l'esprit prophétique s'accorde avec mon discours, lorsqu'il dit (*ou lorsqu'il fait dire au Verbe dans les Proverbes de Salomon*) : Le Seigneur m'a créé le commencement de ses voies. » — Συνᾴδει δὲ τῷ λόγῳ καὶ τὸ προφητικὸν πνεῦμα· κύριος γάρ, φησίν, ἔκτισέν με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ [1]. « Verum hoc citato loco usus erat Jurieu ad propositum suum propter vocem ἔκτισεν, qua sacrum scriptorem significare voluisse contendebat Verbum mundi initio novam quamdam vitam accepisse, sed ei crimini dat Bossuet quod insequentes Athenagorae versus non una produxerit, quos ipse sic Gallice transfert : « Et quant à ce qui regarde ce même esprit prophétique qui agit dans les hommes inspirés, nous disons qu'il est une émanation de Dieu, et qu'en découlant de lui (*sur les Prophètes qu'il inspire*), il retourne à lui par réflexion comme le rayon du soleil. — Καίτοι καὶ αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς ἅγιον πνεῦμα ἀπόρροιαν εἶναί φαμεν τοῦ θεοῦ, ἀπορρέον καὶ ἐπαναφερόμενον ὡς ἀκτῖνα ἡλίου. »

In illa quidem satis accurata versione, episcopum ex industria auxisse, quod ad πνεῦμα spectat, hujus sententiae cum superiore similitudinem, animadvertendum est, nedum diligentiore hac versione uteretur : « Et quant à ce qui regarde ce même esprit *saint* qui agit dans les *Prophètes*... » — Insuper ab eo vocem ἀπορρέον non in generalem sensum intellectam esse, sed, jure an injuria incertum, Prophetis adhibitam patet, quod hac parenthesi demonstratur quam ad explicandum Athenagoram, more suo, Bossuet inseruit : « ... en découlant de lui (*sur les Prophètes qu'il inspire*) ».

Postremo concludit episcopus haud alio modo descripsisse apologetam Spiritus operationem in Prophetis inspirandis quam in mundo creando Verbi operationem, neque illum propter hoc Spiritum aut Verbum quodam temporis momento creatum esse unquam significavisse, sequentique breviore capite LXXI observat

1. Prov., VIII, 22 (In Athenagorae editione a Schwartz data, p. 11, v. 15, hoc signum ' quod citata verba ab ipsius scriptoris verbis separare solet, non verbo γάρ, sed verbo κύριος prius postponendum esset.)

hoc ipso potissimum modo Spiritum definitum esse a Constantinopolitani concilii Patribus, quo Nicaeense confirmatum esse constat : « Credo in Spiritum Sanctum... qui locutus est per Prophetas ».

*
* *

Capite autem LXXII redit Bossuet ad Proverbiorum illum locum qui ab Athenagora erat usurpatus : « Κύριος γὰρ ἔκτισέν με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ ». Nempe eum denuntiaverat Jurieu tanquam e maximis causis cur de Trinitate erravissent Patres[1], ob hanc sententiam quam in Graeco aut in Latino textu reperirent : « Il m'*a créée* le commencement de ses voies par ses œuvres »; at Hebraicus, inquit, fert textus : « Il m'*a possédée* dès le commencement de ses voies... »; immo ea occasione usus erat pastor contra Romanam Ecclesiam animadvertendi « quam periculosum esset versionibus confidere neque originalia adire[2] ».

Ergo Septuaginta erravisse interpretes, cum ἔκτισε pro ἔκτησε verterunt, Eusebii fide[3], fateri coepit episcopus : Hebraicum enim textum tradere id quod Sanctus Hieronymus in Vulgata versione restituerit : « Dominus *possedit* me », scilicet e Sacra sententia : « me *genuit* », Gallice « m'*a engendrée* » (sed non « m'a créée) »; ceterum hanc sententiam sequentibus Proverbiorum versibus confirmari et perspicue Dei Filii generationem designare.

Illa quidem vox ἔκτισε, ut episcopus pergit, veteres aliquot impulit ut Sapientiam, etsi in Deo ex omni aeternitate conceptam, aliquo tamen modo creatam esse dicerent, cum se in suo opere impressisset et quasi figuravisset, haud secus atque architectus in aedificio suo prudentiam, qua ipse instinctus sit, formare soleat.

Quod vero ad originalem textum attinet, unde ἔκτισεν vox translata est, Hebraica lectio fert קָנָנִי sive *qânâni*, a verbo קָנָה *qânâh*, quod, per se incertum, multis sensibus solet affici, e quibus duo praecipui recitandi sunt, aut *facere*, *creare*, aut *possi-*

1. Hunc eumdem citatum locum apud Justinum et apud Tertullianum occurrere, ineunte hac appendice notavi.
2. *Lettres Pastorales*, t. III, p. 132.
3. Apud Eusebium de hoc nihil usquam reperi, nisi De Eccl. theol. l. III, c. 2, ubi tantum scriptor asserit Theodotionem et Symmachum, Hebraicos illos interpretes vertisse : ἐκτήσατο. (Ceterum perraro hoc verbum active cum *possidere* sensu adhibetur.)

dere, vel etiam *acquirere*. Hic autem illam vocem habere priorem sensum, *facere* scilicet, Hebraicarum litterarum peritissimi viri sentiunt, inter quos Gesenius in Thesauro linguae Hebraicae et Chaldaicae : qui alios locos conferendos invocat, Genes., XIV, 19, — Deut., XXXII, 6, et Psalm. in Vulgata 138, 13.

Et Syriaca versio vocem quamdam refert, quae a Semitica radice ברא ducitur et ea ipsa primo Genesis versu usurpatur : « In principio *creavit* Deus caelum et terram ». Neque alio modo sonant cum Chaldaica paraphrasis, quae Targum appellatur veteremque reddit Judaeorum interpretationem, tum Arabica versio. Ergo antiquiorum versionum una est Vulgata quae sic vertit : « Dominus *possedit* me ». Itaque omnes Gallicae, inter recentiores, directo ex Hebraico textu datae versiones interpretantur : « Jahveh m'*a faite* » : exempli gratia sic vertit eruditissimus *Alfred Loisy*, qui fuit in catholica theologiae Facultate Parisiensi professor : « Jahveh m'*a produite*, comme les prémices de sa voie, début de ses œuvres, dès le commencement [1] ».

Haud merito quidem Meldensis episcopus hoc verbo « m'a possédée » transtulit, merito autem voce illa « m'a engendrée » explicavit, quam jure versionem, si incertam vocem *qânâh* diligentius exprimere velis, recipere queas, eo facilius quod nonnulli Patres, Arrianorum tempore, κτίζειν tanquam γεννᾶν valere declaraverunt.

Nunc vero, si in citato Proverbiorum capite theologicum ejusdem vocis sensum indagare tibi succurrat, nullo modo certum est hic sacrum scriptorem mente Verbum Dei Filium prospexisse, quippe qui Sapientiam, Stultitiae oppositam, divinam sane, non ideo fortasse Deum a se habitam, hoc loco describere sibi proposuerit. E reverenda igitur conjectura potius quam e certa interpretatione Athenagoram ut Justinum et plures alios hoc Scripturae caput explanando Verbo adhibuisse, haud imprudenter contendi potest [2].

*
* *

Ultimo denique de Athenagora brevissimoque capite (LXXIII), asserit Bossuet Nostrum ceterosque Patres de Trinitate minime

1. *Revue de l'Enseignement biblique*, interrupta.
2. Ceterum hoc idem Proverbiorum caput nunc Ecclesia fidelibus viris legendum in praecipuis *Beatae Virginis Mariae* festis proponit.

« a Scripturae simplicitate discessisse », sed tantum Proverbia Sapientiamque Salomonis ésse secutos, cujus theologiam Sanctus Joannes, ineunte suo Euangelio, summa brevitate jam cunctam collegisset dicens : « In principio erat Verbum ». —

Ex his igitur omnibus talibusque quid demum ad hujus libelli propositum concludi potest nisi Athenagoram XVII° seculo in Gallia cum a catholicis tum a protestantibus viris diligentissime lectum, translatum, citatum, perpensum fuisse eumdemque a cunctis tanquam unum e certissimis pristinae christianae fidei testibus, praesertim de Sanctae Trinitatis doctrina, continuo fuisse habitum atque invocatum?

APPENDIX II

Quamfidem mereantur Athenagorae documenta ad artium historiam spectantia.

In Apologiae caput 17um commentarius, ubi Germanici doctoris Förster de hoc disputatio, anno 1868 vulgata, expenditur.

Athenagoras quidem Apologiae capite 17°, quod supra expendimus, ut paganos deos recentes esse probaret, cum picturae tum statuariae primam originem descripsit, deinde cujusque dei artificem dici posse denuntiavit, atque hujus exempla attulit decem Graeca inter notissima signa, quorum nominatim designavit artifices. Illa autem documenta quatenus fide digna sint utilissimum est exquirere, ut decerni possit num antiquarum artium historiae prodesse debeant atque inde judicetur quae auctoritas Athenagorae testimoniis in universum tribuenda sit. Haecce indagatio jam a Germanico doctore quodam *Richard Förster* Vratislaviae anno 1868 patrata est in fine dissertationis *Ueber die ältesten Herabilder*, ubi uno excursu Athenagorae illius capitis omnes de signis versus attentissime ad unum perpensi sunt[1]. Nos vero vice nostra eamdem viam repetamus, si forte decessori nostro non admodum consentiamus.

Quod primum ad artium inventionem attinet per Sauriam Samium, Cratona Sicyonium, Cleanthem Corinthium Corinthiamque virginem quamdam, de duobus primis ideo dubitare coepit eruditus vir quoniam eos nullus alius commemorat, quasi plurimi inter

1. *Zur öffentlichen Prüfung der Schüler des hiesigen Gymnasiums zu St. Maria Magdalena a. 1., 2. et 3. April 1868 ladet Dr Carl Schönborn*, Druck von Grass, Barth und Comp. (W. Friedrich), in-4°, 68 p. [Biblioth. Universitatis Paris. C, 279 (18), Acquisitions, n° 26.589].

veteres nos de hac materia docuissent et eorum tertius vel quartus Athenagoras non potuisset quaedam referre quae non cognovissent aut non reputavissent ceteri. Sed suspicatur censor ab Athenagora Sauriam *Samium* delineationis inventorem propter hanc causam ex confusione declaratum esse, quod *Sami* excogitata fuerit aeris fundendi ars, atque item ab eo Cratona *Sicyonium* cum Telephane *Sicyonio* esse confusum, quem Plinius Major inter veterrimos pictores citavit. Quam mira subtilitate ingenii utitur ut Athenagorae, nescio cur, auctoritatem aspernetur!

Cleanthes vero, qui versatur apud Athenagoram, a Plinio Majore confirmatur [1]; sed in proprium nomen Κόρη invehitur Förster, quod pro appellativo nomine κόρη, ob propria nomina quae praecedunt, ipse reposuit : at vox κόρη probabilior manet, praesertim, quod notat Otto, cum articulus (τῆς) ante Κορινθίας desit, quem ante superiora et propria nomina constanter reperis. Ceterum haec eadem lectio a Schwartz quoque admissa est.

Adversatur porro verbi κοροπλαθική vel κοροπλαστική origini a κόρη ductae : fortasse tamen talis origo defendi queat, praeterea nequaquam etymologiam, hoc loco aperte corrupto, respexisse videtur Athenagoras, sed illud dicere voluisse : ab illa virgine pupas fingendi artem esse inventam [2]. Quam inventionem jam enarraverat Plinius : immo ambae narrationes simillimae sunt, nisi quod Latinus scriptor Sicyoniam esse virginem dixit, Corinthiam Noster, ejusque patrem nominavit Plinius [3], Dibutadam. Cur autem hic Athenagorae fabella alteri impar judicatur? Quiane uno antea seculo vixerit Plinius? Minime, sed quoniam Graeca descriptio « non satis poetico per singula quaedam afflatur spiritu », quod contra in rerum historia conscribenda veri argumentum haberi solet.

Tum convincitur apologeta minoris propriarum in arte rerum intellegentiae quod apud eum virginis pater ἀναγλύψας τὴν περιγραφὴν πηλῷ προσανεπλήρωσεν : hoc sane non prorsus perspicuum esse lubenter confitear, nec mirum propter nostram harum obsoletarum in artibus viarum inscitiam; num autem multo liquidior Plinii sententia : « quibus (lineis) pater ejus impressa argilla typum fecit » ? aut potius nonne scriptores ambo idem designavisse videntur [4] ?

1. Naturalis Historia, l. XXXV, c. XVI. Plinium citamus ex editione quam cum Gallica versione dedit *E. Littré* anno 1848 (Collection Nisard).
2. Cf. Otto, p. 76, n. 15.
3. L. XXXV, c. XLIII.
4. Hanc notissimam fabellam, aut potius talem, inter ceteros, nuper finxit

Praeterea levitatis causa vituperatur Noster quod hanc primam effigiem referat sua etiam aetate Corinthi servari : Plinius contra « bene doctus » laudatur quod dixerit : « eum (typum) servatum in Nymphaeo, donec Corinthum Mummius everterit, *tradunt* », itaque hoc pretiosum opus commentatur criticus illo anno 146 ante Christum natum nimirum periisse; sin autem superfuerit, certo Romam allatum fuisse. — At haec est etiam mera, post tot alias, conjectura, atque, ut omnis culpa in Athenagoram ex industria conferatur, anteponitur illius sententia qui res auditas *ex traditione* refert, hujus affirmationi qui res regionis ipsius quam incolit, graviter asseverat.

Sequentibus autem versibus Athenagorae vitio vertere coepit asperrimus idem censor duas inversiones, Daedalum scilicet post Cleanthem positum et ἀνδριαντοποιητικήν antepositam πλαστικῇ, cum Plinius « plasticen priorem quam statuariam fuisse » declaret[1]. Dein reprehenditur Noster quod, sicut Plato ac Pausanias, Daedalum revera artificem fuisse crediderit : sed nunc hoc ipsum haud pauci recentiores admittunt eruditi, inter quos *E. Pottier* ea docta dissertatione quam Daedalo nuper tribuit in celeberrimo quodam repertorio[2], re ipsa eum hominem fortasse exstitisse et circa septimum seculum floruisse censet.

De Theodoro quoque Athenagoram erravisse putat Förster quod « Milesium », non Samium illum dixerit : sed optimus omnium codex non « μιλήσιος » refert, sed « μιλίσ ιος », quod Otto quidem in « Μιλήσιος » correxit, Schwartz autem in « Σμῖλις », nomen alius inter veterrimos Graeciae artifices. — Forsan vero cum Plinio[3] injuria admisit Athenagoras a Theodoro non fundendi aeris artem, quod re evenit, sed plasticen inventam esse, quanquam hoc illi haud nominatim attribuit.

Quae autem Noster de Endoeo refert haud paucis confirmantur testimoniis : ab hoc inter cetera Athenae simulacra Athenam Sedentem factam esse testatur Pausanias (I, 26, 4, et VII, 5, 9) ; et ligneum fuisse Athenae Urbicae signum, quod, ab indigenis fundatum, servabatur ab Atheniensibus, asserit quoque Plutarchus

Gallicus quidam pictor, nomine *Henry Picou*, qui, anno 1895. sollemni tabularum Expositioni, vulgo dictae « *Salon* », jucundam dedit picturam, *L'Enfance de l'Art* inscriptam, ubi juvenis virginis umbram in pariete projectam delineare ostenditur.

1. L. XXXIV, c. xvi.

2. Dictionnaire des Antiquités, *publié sous la direction de* Ch. Daremberg *et* Edm. Saglio, *Paris*, *Hachette*, 1877-1898, nondum confectum opus.

3. L. XXXV, c. xliii, 2.

apud Eusebium (Praep. Euang., III, c. 8). — Ephesiam vero Artemidem ab Endoeo fictam esse solus docet Athenagoras, quanquam idem nomen forsan reddidit Plinius (l. XVI, c. LXXIX, 2), ut fatetur ipse Förster : namque Romani scriptoris referunt optimi codices « eandemcon », quod alii *Pandemion*, « Endoion » alii legerunt.

Solus porro Diodorus confirmat, immo auget (I, 98) id quod Athenagoras de Apolline Pythio a Theodoro simul et Telecle fabricato ait ; dein non curavit Noster animadvertendum illud signum suopte tempore non jam exsistere : ob has duas leviores causas apologetae affirmationem suspectam habet severus doctor. Huic tamen non arbitramur mirum videri duos artifices in eodem opere laboris socios fuisse, quippe qui idem cito post in Apolline Delio admittat.

Quod enim addit Noster de hoc signo, Tectaei Angelionisque opere confirmatur a Pausania (II, 32, 5, et IX, 35, 3), a Plutarcho (De Musica, 14), a Macrobio (Saturn. I, 17). Sed cum Artemidis simulacrum Deli expositum memorent nec Pausanias nec Plutarchus, ne ullum quidem ibi fuisse concludit Förster : quod minime verisimile est, nam haec dea maximum obtinebat honorem Deli, ubi eam fabula natam esse contenderet atque haec sub nominibus Δηλίας, Ὀρτυγία vel Κυνθία celebrari solebat [1].

Supra vero, in principio disputationis suae [2] testimonia perpenderat Förster quae de simulacris Herae attulerat Athenagoras : « ἡ δὲ ἐν Σάμῳ Ἥρα καὶ ἐν Ἄργει Σμίλιδος χεῖρες » ; immo hac occasione erat usus disserendi de omnibus Nostri documentis ad artium historiam spectantibus. Quod quidem de Hera Samia Athenagoras asserit, a Pausania confirmatur, qui addit hoc signum ab Argonautis in insulam Samum Argis esse asportatum [3]. Heram autem Argivam Smilidis opus esse tantum ideo in incertum revocavit Förster quia hoc non altero nitatur documento. Sed illud non satis est. Ceterum benevolentior aut potius aequior alter eruditus Wesseling relativum pronomen « ἣ » ante voces « καὶ ἐν Ἄργει » inserendum censuit, ita ut haec verba Pausaniae testimonio congruerent ac significarent : « Hera Samia quae et Argis fuerat [4] » ; Förster autem sine causa suspicatur Athenagoram, postquam Heram Sa-

1. Newton, Halicarnassus, Inscr., n° 6 a ; Horatius, Carm. IV, VI, 33, apud *Daremberg et Saglio*, cit., diss. Diana, p. 131 et 149.
2. P. 12.
3. VII, 4, 4.
4. Vide Otto, p. 80, n. 2.

miam commemoraverat, inconsulto celeberrimum post hanc Herae simulacrum, Argivum scilicet addidisse [1].

Porro verba sequentia « καὶ Φειδίου τὰ λοιπὰ εἴδωλα » nostro censori argumento sunt, nescio quomodo, Athenagoram minorem aequo cum vera artium historia consuetudinem habuisse : at editor ille Schwartz, apologetae codicum peritissimus, ea « confusa et lacunosa » esse atque « haud pauca intercidisse apparere » declarat.

Quod autem de Aphrodita Cnidia a Praxitele fabricata narrat Athenagoras, bene cum ceteris congruit testimoniis : attamen exclamat Förster : « Nonne sic sonant ista verba ut paene credi possit Athenagoram de ceteris a Phidia fictis Aphroditae simulacris prorsus nihil novisse? » In ista igitur iniqua vituperatione ne ullum quidem jam adhibetur argumentum.

Denique ultimi versus errorem praebent, si eidem fidem habeas, maximum, immo solum, si nobis credas : Aesculapii enim Epidaurii signum Phidiae, pro Thrasymede quem refert Pausanias, tribuitur. Schwartz autem summa nimirum prudentia « Phidiae nomen huc corruptela translatum esse » suspicatur.

Ad summam igitur non mirandum si severior ille censor concluserit ea quae de artium historia referat Athenagoras minime esse curanda nisi ubi aliis quadrant testimoniis (p. 12) ; eumdem multos errores et confusiones admisisse, quae codicum corruptelae nequaquam tribui possint (p. 34), denique eum nullo modo proprias artium vias intellexisse illarumque historiae plane imparem scientiam habuisse. « *Für die Technik der Kunst besitzt er kein Verstandnisz, von ihrer Geschichte hat er ganz ungenügende Kenntnisz.* »

Ut autem magis infirmetur Nostri auctoritas, conferuntur hic pusillae duae aliae confusiones ab eo in toto Apologiae tenore effectae, nec non aliquot exigui vocularum errores qui scriptorem in plurimis citatis locis fugisse videantur [2], sed qui revera non auctori nostro, sed aut auctorum exemplaribus, quibus uti solebat, aut ipsius codicibus videlicet assignandi sunt; itaque levissimorum horum errorum nonnullos ipsi Athenagorae editores sponte correxerunt [3], quin etiam ipsum aliorum scriptorum textum a codici-

1. P. 33.
2. *Förster*, p. 34, n. 31 et 32.
3. Sic Schwartz admisit οἰκέοντας, p. 36, v. 29; αὐτοῖσι καὶ σώτειραν, p. 37, v. 8; τὸ γὰρ τῆς Ἴσιδος, p. 37, v. 13, etc.

bus traditum per Athenagorae lectiones nonnunquam corrigendum censuerunt quidam critici [1].

Ergo quantum et quam saepe erraverit, non dico Athenagoras, sed Förster; quam continua et aperta obcaecatus sit iste Zoilus malevolentia in hac dissertatione, quam potius accusationem jure appellaveris, ostendimus.

Re ipsa vero, inter plurima ab Athenagora tradita documenta, pleraque a scriptoribus aliis confirmantur : unum modo repugnat, ultimum scilicet. Quamobrem cetera, quae solus refert christianus apologeta, nulla prorsus gravis ratio obstat, ut supra tertio capite breviter jam colligebam, quin plena fide admittantur. Immo, nostra vel aetate, non multos esse sive philosophos sive theologos qui priscam patriae suae artem ejusque historiam tam diligenter perspexerint, suspicari licet.

1. Sic *Dräseke* censuit de nonnullis Sancti Matthaei locis a Nostro allatis, *Der Brief an Diognetos*, p. 449 (V. nostrum Indicem I, *A. 1881*).

APPENDIX III

Christianorum quaedam pro imperatoribus precatio I° seculo habita.

(A S. Clemente relata et anno 1875 inventa.)

Exeunte nostro capite VI°, ubi preces quas tradito more Christiani pro imperatoribus ipsis effundere solebant, ostendimus, precationem quamdam e veterrimis, a Romae episcopo, Sancto Clemente allatam eamdemque nuper inventam partim citavimus. Primae quidem Clementis ad Corinthios Epistulae textum usque ad annum 1875 mancum fuisse, notissimum est, quippe qui constitutus esset ex *Alexandrino Codice*, ubi ultima Epistulae capita desiderantur. Illo autem anno, in Fanaria Constantinopolis bibliotheca inventus est quidam codex anno 1056 exaratus, qui totam continebat Epistulam hujusque finem primum reddebat. Inde perfecti denique operis accuratissimam editionem, exeunte anno 1875, Constantinopoli dedit *Bryennios*, Serrarum metropolita. Quam mox confirmavit codex alter, Clementis Syriacam versionem continens ac XII° conscriptus seculo : hic enim, anno 1876 a *Bensly* inventus, tum a Cantabrigiae bibliotheca, ubi nunc est, acquisitus est [1]. Itaque hanc novam partem in secundam suam Sancti Clementis Romani editionem, quam maxima opera anno 1890 Londinii dedit, *J. B. Lightfoot*, t. II, p. 178 sqq., inseruit et explanavit.

Illud vero supplementum si evolvas, occurrit in primis quaedam pro paganis imperatoribus precatio, qua Romani videlicet

1. De hoc vide dissertationem *Clemens Romanus* inscriptam atque a *Salmon* compositam in *Dictionary of christian Biography*, Londinii, 1877-1887, et consule editionis *Lightfoot* librum I (Publ. Bibl. Paris., c. 5.073), de quo infra.

Christiani, e Pauli Apostoli praeceptis [1], ante annos 93-95, inter quos scripta est Epistula [2], uti solebant. Hanc orationem « canonicam » fuisse, scilicet quae ne uno quidem mutato verbo ubique, recitaretur, nihil ostendit; sed verisimillimum est hanc fuisse orationis materiem, quam alii alio modo per singula tractarent : haud secus ac nunc, cum preces pro aliqua re praecipiuntur ab episcopo, in variis ecclesiis pro eadem re diversis verbis oratur. Hocce senserunt eruditissimi viri cum Ernestus *Renan* tum presbyter *Duchesne*, qui illum textum vicissim anno 1877 et novissime anno 1898 transtulerunt [3]. Quae precatio ut excelso animo, sic maxima simplicitate distinguitur, quippe quae eamdem praecipuam sententiam, saepius iteratam et fere iisdem verbis expressam, potestatem scilicet regibus a Deo datam, referat [4]. Hanc igitur, quam simul antiquissimam eamdemque novissimam merito dicere possis, cum apud nos nondum satis nota mihi videatur, propterea haud inutile credidi vice mea in lucem proferre, Graecum textum simulque novam Gallicam edendo translationem [5].

Cap. LX. — ... « (Κύριε) Δὸς ὁμόνοιαν καὶ εἰρήνην ἡμῖν τε καὶ πᾶσιν τοῖς κατοικοῦσιν τὴν γῆν..., [ὥστε σώζεσθαι ἡμᾶς] ὑπηκόους γινομένους τῷ παντοκράτορι καὶ παναρέτῳ ὀνόματί σου, τοῖς τε ἄρχουσιν καὶ ἡγουμένοις ἡμῶν ἐπὶ τῆς γῆς.

Cap. LXI. — Σύ, δέσποτα, ἔδωκας τὴν ἐξουσίαν τῆς βασιλείας αὐτοῖς διὰ τοῦ μεγαλοπρεποῦς καὶ ἀνεκδιηγήτου κράτους σου, εἰς τὸ γινώσκοντας ἡμᾶς τὴν ὑπὸ σοῦ αὐτοῖς δεδομένην δόξαν καὶ τιμὴν ὑποτάσσεσθαι αὐτοῖς, μηδὲν ἐναντιουμένους τῷ θελήματί σου· οἷς δός, Κύριε, ὑγιείαν, εἰρήνην ὁμόνοιαν εὐστά-

1. I Tim., II, etc.
2. V. Batiffol, *Littérature grecque*, p. 12.
3. Renan, *Histoire des Origines du Christianisme*, t. V, p. 330 (Non tota precatio reddita est). *Ibid.*, p. ix : « L'épître dite de Clément Romain... se présente comme l'œuvre collective de l'Église romaine ». — L'abbé L. Duchesne, *Origines du Culte chrétien. Étude sur la Liturgie latine avant Charlemagne*, 2[e] éd., Paris, chez Fontemoing, 1898, p. 49-51 (quod perpaucis modo diebus audii, antequam confeci hoc opus). Pagina autem 49 legitur : « La lettre de saint Clément de Rome nous a conservé un morceau d'un caractère liturgique évident. On ne peut sans doute y voir la reproduction d'une formule consacrée, mais c'est un beau spécimen du style de la prière solennelle, telle que l'exprimaient alors les chefs ecclésiastiques dans les réunions du culte. » — Hujus textus meminit quoque Paulus Allard (*Histoire des Persécutions pendant les deux premiers siècles*, p. 169, et *Revue des Questions historiques*, 1896, I, p. 21).
4. Etiam quinquies.
5. Scilicet hic textus in data a Migne S. Clementis editione deest, quae, antequam est inventus, edita est.

θειαν, εἰς τὸ διέπειν αὐτοὺς τὴν ὑπὸ σοῦ δεδομένην αὐτοῖς ἡγεμονίαν ἀπροσκόπως. Σὺ γάρ, δέσποτα ἐπουράνιε, βασιλεῦ τῶν αἰώνων, δίδως τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἐξουσίαν τῶν ἐπὶ τῆς γῆς ὑπαρχόντων· σὺ, Κύριε, διεύθυνον τὴν βουλὴν αὐτῶν κατὰ τὸ καλὸν καὶ εὐάρεστον ἐνώπιόν σου, ὅπως διέποντες ἐν εἰρήνῃ καὶ πραΰτητι εὐσεβῶς τὴν ὑπὸ σοῦ αὐτοῖς δεδομένην ἐξουσίαν ἵλεώ σου τυγχάνωσιν. Ὁ μόνος δυνατὸς ποιῆσαι ταῦτα καὶ περισσότερα ἀγαθὰ μεθ' ἡμῶν, σοὶ ἐξομολογούμεθα διὰ τοῦ ἀρχιερέως καὶ προστάτου τῶν ψυχῶν ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, δι' οὗ σοι ἡ δόξα καὶ ἡ μεγαλωσύνη, καὶ νῦν καὶ εἰς γενεὰν γενεῶν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.[1]. »

« Seigneur, donne-nous la concorde et la paix, à nous et à tous les habitants de la terre, [afin que nous trouvions le salut] en restant soumis à ton nom souverainement puissant et saint et à ceux qui nous commandent et nous gouvernent sur la terre[2].

« C'est toi, maître, qui leur as donné l'autorité du pouvoir par ta magnifique et indicible puissance, afin que, connaissant la gloire et l'honneur que tu leur as donnés, nous leur soyons soumis sans nous opposer à ton vouloir : donne-leur, Seigneur, santé, paix, concorde, stabilité, afin qu'ils exercent la souveraineté que tu leur as donnée, — sans encombre. Car toi, maître céleste, roi des siècles, tu donnes[3] aux fils des hommes la gloire et l'honneur et l'autorité de ceux qui commandent en second sur la terre[4] : toi donc, Seigneur, dirige leur volonté selon ce qui est bien et agréable à tes yeux, pour qu'en exerçant pieusement dans la paix et dans la douceur l'autorité que tu leur as donnée, ils obtiennent ta faveur. Toi qui es le seul capable de réaliser ces choses et de nous faire parti-

1. J.-B. Lightfoot, *S. Clement of Rome*, t. II, p. 178 sqq.

2. Hanc sententiam reddidi ex his verbis quae, ut lacunam compleret, supposuit *Lightfoot*. Ludovicus autem *Duchesne* ita vertit : « Donne la concorde et la paix à nous et à tous les habitants de la terre, [comme tu l'as donnée à nos pères lorsqu'ils t'invoquaient avec foi et sincérité] soumis à la toute-puissance et à la vertu suprême de ton nom.

A nos princes, à ceux qui nous gouvernent sur la terre, c'est toi, Seigneur, qui a (*sic*) donné le pouvoir de la royauté... » — Ex his illud quoque apparet verba « τοῖς τε ἄρχουσιν καὶ ἡγουμένοις ἡμῶν ἐπὶ τῆς γῆς » ab hoc erudito viro in secundam sententiam translata esse. Jam idem *Renan* agere videbatur.

3. Haec parum diligenter vertit *Renan* : « Car c'est toi, maître céleste, roi des *mondes*, qui *as donné* aux enfants des hommes... ».

4. Hic tamen τῶν ὑπαρχόντων forsan est genetivus neutralis participii τὰ ὑπάρχοντα, quod plerumque significare constat *ea quae sunt* : tunc Gallice vertendum esset « ... et l'autorité dans le domaine des choses terrestres ». Sic transtulerunt *Renan* et *L. Duchesne*. *R.* « ... le pouvoir sur tout ce qui est à la surface de la terre ». — *D.* « ... la puissance sur les choses de la terre ». Nihilominus, duplici et tam magna auctoritate repugnante, priorem antepono sententiam quae pressior esse mihi videtur, ob haec simillima verba quae supra in primis orationis versibus occurrunt : « τοῖς ἄρχουσιν... ἐπὶ τῆς γῆς ».

ciper à des biens plus considérables [1], nous te rendons hommage par le pontife et le chef de nos âmes, Jésus-Christ; par qui soient à toi la gloire et la magnificence, maintenant et dans la génération des générations et dans les siècles des siècles. Amen. »

1. Vocibus μεθ' ἡμῶν, quae ferme hoc significare videntur « tu qui solus potes *nos* majorum bonorum *participes facere* », tritum reddi apud Hebraeos dicendi modum docet eruditissimus editor Lightfoot, qui huic loco merito confert Luc. I, 72, et X, 37, et Psalm. 118 (119), 65. — Ceterum quam fracta sit tota sententia, cum a nominativo quodam incipiat qui subjectiva pars nullius est verbi, certo animadversum est.

PRAECIPUARUM NOTARUM CATALOGUS

I. — De Rebus.

II. — De Verborum textu vel sententia.

A. — *Athenagorae Apologia.*

B. — *Hadriani Minicio Fundano rescriptum.*

C. — *Relata a S. Clemente Precatio.*

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. VII Kal. Februarii ann. MDCCCXCVIII,
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi Decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR.
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

COLUMBARIIS
Ex typis PAULI BRODARD.